DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/antrumphilosophi00besa

CHRISTO ET REIPVBLICÆ

ANTRUM
PHILOSOPHICVM,
IN QVO PLERAQVE
arcana phyſica, quæ ad vulgatiores humani corporis affectus curandos attinent, ſine multo verborum apparatu, ad experimenti legem breuiter, & ſincerè reuelantur.
QVIBVS ORDINE ALPHABETICO
annotatis, diuerſa medicamenta tam è mineralibus, quàm vegetabilibus conficiendi modus immediatè ſubiicitur. Atq; huic,
TRACTATVS DE REBVS QVAE HVmano corpori eximiam, & venuſtam formam inducunt.
De variis Mineralium, & Metallorum præparat.
Deq; plurimis experimentis, quorum ſpeculatio cãdidioris eſt ingenii, breues, ſed fideles annectuntur. Per
I. B. BESARDVM VESONTINUM.
Cum Priuilegio Cæſareo.
* *
*

Da: Döring Scu fe 1617

L. Kilian f.

KBR
B554AN

SERENISS^mo. REVERENDISS^mo. ILLVSTRISS^mis. PRINCIpibus, ac Dominis, Dn. PHILIPPO II. Dn. FRANCISCO Epiſcopo Caminenſi: Dn. BOGISLAO: Dn. VDALRICO, fratribus Germanis; Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, & Vandalorum Ducibus, Rugiæ Principibus, Gutzcouiæ Comitibus, ac Terrarum Lebeburgenſium, & Butouienſium &c. Dynaſtis; Dominis ſuis clementiſſimis

IOHANNES BAPTISTA BESARDVS Fælicitatem.

SVbſeciuarum hæc, Sereniſſ^me. Reuerendiſſ^me, Illuſtriſſ^mi, Principes, horarum πάρεργα collectanea, & ad Philoſophos, naturæ, & rerum inde dependentium curioſos indagatores ſpectantia, ego homo diuerſæ omninò profeſſionis, animi causâ in chartas quum conieciſſem, Sereniſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudinibus veſtris dicare humilimè volui,

volui, non indigna prorſus, ſpero, quæ ab eiſdem inſpiciantur: quippe à doctiſſimis, & clari in Chriſtiano orbe nominis viris partim mihi communicata, partim à me ipſo fideliter, ſubſeciuè, ut dixi inueſtigata: equidem, ut fallendi temporis causâ, Celssss. veſtræ habeant, quibus otia ſua, (quamquam & illa haud dubiè ſatis ardua, & negotioſa) oblectent, atque temperent. Sed alia quoque ſunt, quæ ab aliis viſa, fando audita mihi, me commouerunt, ut tantos Heroas affari auderem. Tuæ, Sereniſſime Princeps PHILIPPE virtutes, tua eruditio, quâ nulli literatorum Germaniæ Principum cedis; Tuæ quòd Patriã, quòd Rempublicam optimè geris, ac adminiſtras, nec exteris ignotæ, nunquam intermorituræ laudes; tantæ utique, ut tuorum, octingentis abhinc annis, inter Sacri Rom. Imperii Principes adſcriptorum (ut cum Poetà loquar) deſcendas magnorum haud unquam indignus auorum. Quorum ſi lauream ſpectemus, Bogiſlaum x, qui Pomeraniam uniuerſam, victricibus armis, familiæ veſtræ fęliciter aſſeruit, ipſisque adeò Turcis peregrinatione Hieroſolymitanâ formidandus apparuit: ſi togam intueamur, VVartiſlaum ix, cuius authoritate, & auſpiciis Gryphisvvaldenſe

Muſa-

Muſarū Archigymnaſiū Dei benig nitate proſperè fundatū reperio; hæc inquam duo Patriæ, imò Rei totius publicæ luminaria nominaſſe ſatis fuerit. Horum vos Celſiſſimi Duces, hodie in togâ æmuli, ac ſi uſus fuerit, Lauro quoque eos æmulaturi. Siquidem, & VVartiſlaus, de quo dixi, Sigiſmundo Imperatori familiaris fuiſſe legitur: qui Sigiſmundus Hungariæ adhuc Rex, & Turcas intra fines eorum continuit, & Hungaros ſuos, tametſi diù recalcitrantes, in officio retinuit. Quantò glorioſiùs eſt, Sereniſſ^am^. & Illuſtriſſ^am^. familiam Veſtram, Cæſarum, Poloniæ, Luſitaniæ Regum, maximorumque Germaniæ Principum, Electorum Palatinorum, Saxonum, Brandenburgenſium, aliorumque ſtirpibus, vetuſtâ, & arctâ conſanguinitate vinctam, atque innexā conſpici? Illuſtriſſima verò Celſitudo tua, PHILIPPE Princeps Sereniſſime, præter inſignem eruditiſſimarum artium notitiam, & ſummam in fouendis illis liberalitatem, (quà PHILIPPVM, Auum tuum, Principem Illuſtriſſ. Gryphisvvaldēſis Academiæ inſtauratorem benigniſſimum ſedulò exprimis) quà ſit ſapientiâ, quà clementiâ, quid attinet, adulatoris inſtar, plenioribus, quod aiunt, buccis deprædicare? Loquere ut te vide-

am; ad quendam dictum eſſe à veterum Philoſophorũ aliquo perhibẽt. Tua verò Sereniſſma Celsdo & loquitur ea, & gerit, quę eam in nullius non oculis ſitam eſſe faciunt, & quidem ita ſitam, ut ſi quiſquam unquam optimorũ Pomeranię Principum, in hominum oculis ſitus fuit (cum Saluſtio ut loquar) te abſque ullo unquam ſitu, in optimorum quorumque cuiuſuis conditionis ſitum fuiſſe, grata poſteritas prędicatura ſit: neque abſque fęlici omine, in titulo tuo (qui eſt PHILIPPVS DVX POMERANIAE) annus fauſtiſſimæ natiuitatis Tuę, à nato Domino IESV 1573 expreſſus videatur: exclametque meritò Pomerania, ô Dominum clementem, & bonum, ô Patrię Patrem.

Aemule tanti fratris, Reuerendiſſme. Princeps, ac Pręſul FRANCISCE, quid de Reuerendiſſmâ. & Illuſtriſſmâ. Celſitne. Tuà adiiciam? Oſtendit officiũ ipſum, quo Celſitdo. Tua fungitur, ut omnia uno quaſi faſce complectar, optimis ſtudiis perpolitum Te Principem eſſe: quùm pręcipuè etiam Mathematicis diſciplinis, ac Philoſophiæ cognitione excultum, & iis impensè delectari, famâ nequaquam vanâ intellexerim.

Iam, ſi ad Illuſtriſſmas. Celnes. Veſtras, BOGISLAE,

&

& Vdalrice, Celſiſſimi Principes, Domini Clementiſſimi me conuertam, certò inaudiui, præter Heroica, & ſublimia illa cæterarum liberalium exercitationum, quibus animos excolitis, ſtudia, Muſices quoque ſingulares vos amatores, & fautores eſſe. Huic quidem arti, ego etiam, ultra illa melioris literaturæ, cui deditus ſum, ſtudia, laboresque in utroque potiſſimùm iure exantlatos, utcumque incubui; at quòd ad manum nunc non eſſet, quod eò pertinens, publici iuris ſub Illuſtriſſrum. Celſituum. veſtrarum nominibus facerem, ſubſeciuas has, labore ſanè non nullo, & à viris magnis ſuppeditatas mihi operas, ſeu, ſi licet dicere curas, Muſarum fœtus, Illuſtriſſ. Celſſ. veſtris quin conſecrarem, committere nolui: eò quidem uſque, dum Deo annuente, ex ipsâ Muſices artis penu, depromptum quid, tantis Heroibus conſecrem.

Eſtote igitur Sereniſſme. Reuerendiſſme. Illuſtriſſmi. Principes, operis nunc huius, infimâ cum obſeruantià precor, Patroni optimi.

Prodiit ex urbe Romanà, Colonia olim ſplendidiſſima, hodieque Germaniæ inter multas clariſſima, urbs Auguſta Vindelicorum: quò ego, quùm non ita pridem veniſſem, reperto ibi Nobili

bili, & Magnifico viro, Dn. PHILIPPO HEINHOFERO. eiuſdem urbis Ciue Patricio, meo viginti abhinc annis, in liberalium ſtudiorum cultu condiſcipulo; ea ex homine mihi amiciſſimo intellexi, quæ ad hanc dedicationem Sereniſſmæ. Reuerendiſſmæ. & Illuſtriſſmis. Celssss. veſtris faciendam, vehementer me inflammarunt. Ego quoque ipſe, fateor, inſigni, & perantiquà Sequanorum interiorum, quibus poſtea Burgundiones ſucceſſerunt, adeoque inſtar propè Auguſtæ Vindelicæ, Imperiali urbe, & liberà, Veſontione ortus, ibidem penates meos habeo, eiuſdemque urbis Ciuis ſum. Ceterùm, nec Vindelicorum Auguſtæ, nec Veſontionis laudibus immorari libet: niſi quod paucisſimis videtur urbibus obtigiſſe, quod & Auguſtæ Vindelicæ, & Veſontioni; quæ priſca ſua Romana illa nomina, fęliciter, opinor, retinuere, ac hodie retinent.

Sereniſſmam. Reuerendiſſmam. Illuſtriſſmas. Celssssnes. Veſtras, quàm imà poſſum animi demiſſione oro, & obteſtor, ut dedicationem huius operis meam, clementisſimo fauore excipiant, meque inter infimos clienteis ſuos, locum aliquem habere patiantur,

Prin-

Principum Princeps Deus Optimus Maximus Sereniſſmam. Reuerendiſſmam. Illuſtriſſmas. Celſsssnes. Veſtras, bono, & commodo ſubditorum ſuorum, Germaniæ, atque adeò totius Chriſtianæ Reipublicæ, diutiſſimè, unà cum totâ glorioſiſſimâ familiâ, florentes ut conſeruet, atque incolumes; paremque eis, & Reipublicæ largiatur optimam poſteritatem, ex animo voueo.

Dabam Auguſtæ Vindelicorum ipſis Calendis Iulii, anno à nato Domino M. DCXVII.

Sereniſſmæ.
Reuerendiſſmæ.
Illuſtriſſmis.

Celssss. Veſtris

Deuotiſsimus, dicatiſsimus

Iohannes Baptiſta Beſardus
Veſontinus I. V. Doctor.

AVTHOR AD BENEVOLVM LECTOREM.

IAM annorum tempus aliquod elapſum eſt, amice Lector, ex quo, me domi ſtudijs legalibus (quibus & liberalium artium exercitia, à primâ iuuentute coniunxeram) publicè, & priuatim attendentem, non tam peregrinandi voluntas, quàm præceps occaſio, & aduerſa ſors, ad diuerſa orbis Chriſtiani partes luſtrandas adegit. Quod cùm viderem, nonnullos conſiliorum meorum ignaros, ita interpretari, quaſi cum ſummâ temporis, ac rei domeſticæ, imò & àliquantulâ etiam famæ meæ iacturâ, nec abſque animi leuitate illud accidiſſet; ut iis aliquando cauſæ meæ ratio innoteſceret; præſertim verò ut Patriæ, & Reipublicæ, (cui officia mea, toto vitæ tempore præſtari par fuit) meliores aliquando laborum meorum fructus retribuerentur, flagrante ſemper vixi animo.

Huius rei cùm mihi ſit teſtis Germania; quæ binos in gratiam eorum qui Muſicas artes excolunt, editos à me partus beneuola vidit, quæ hiſtoriarum epitomem grato animo ſuſcepit: quid ni maioris momenti labores meos, & arcana ſelectiſsima, quæ interim à ſummis viris ad manus meas peruenerunt, Reipublicæ commodo, cui nati ſumus omnes, in lucem emittam?

Annon

Annon ſatiùs (etſi tractatus videantur ab inſtituto alieni) paucos hoſce, non meos, ſed doctorum virorum, è vaſtiſsimis Naturæ campis decerptos flores, hactenus in faſciculum penes me colligatos, in uſum hominum iam ſpargi, quàm obſcuris tenebris malè recondi, ac æternùm ſepeliri?

Si hoc inſtitutum probas, amice Lector, iam ſupradictos haud amplius morabor, qui de peregrinationibus meis ſecus quàm par eſt iudicarunt, atque ſinceros meos, in tui gratiam ſuſceptos labores, morbum animi malè finxere.

Tu verò, in cuius gratiam ſudaui, ſi aſſurgat Zoilus, ſi rudia & malè polita increpet, ſi tractantem aliena rideat: ſi ſublimia contra philoſophorum præſcripta reuelantem, ſi ſecreta liberius propalantem redarguat; tu inquã, cuius me fidei committo, cauſam ſuſcipe; & fideles conatus protege.

ANAGRAMMATISMVS.

IOANNES BAPTISTA BESARDVS *Gallo-Biſuntinus ac Legum Doctor.*

Grus bonus eſt, Ius & Apollo benigni, Muſica blanda, dat Arctos.

Nobilis inſtar auis Palamedæa excubat Author
Lege, Medelâ, Ode, GRUS *vigil &* BONUS EST.
Ingenij dotes ſunt; IVS ET APOLLO BENIGNI,
Orbi ut clareſcant, MVSICA BLANDA *facit,*
Ingenij dotes ſunt, quas DAT *lucidus* ARCTOS,
Quas dat APOLLO *bonus, quas dat* IOVA *potens.*

Nobiliſsimo, Præſtantiſsimo, Conſultiſsimoque viro, Authori ſolertiſsimo, ſuperiori Anagrammatiſmo corditùs fuſo, & hexaſticho concluſo, &c. benè precatur Iohannes Remmelinus Ph. & Med. Doctor, Archiatros Aalenſis.

In Antrum Philoſophicum Clariſſimi viri D. Ioannis Baptiſtæ Beſardi Ic. Veſuntini.

Corporis humani qui vis dignoſcere morbos,
Curandiq́; iſtos doctus ab arte modum;
Pharmaca qui miſcere cupis mortalibus ægris,
Vt medicâ multi reſtituantur ope;
Si tibi forma placet ſpecioſa, & recta figura;
Si te delectant unguina, ſanus odor;
Si juuat inter opes terræ luſtrare metalla,
Arcanum & Chemicæ conficere artis opus:
Margaridas conflare cupis, variasq́; medelas,
Expertas, uſu diſcere quando lubet,

Ingre:.

Ingredere hoc Sophiæ BESARDI *prouidus antrum,*
Et quæ proficiunt auxilia inde pete.
Hac ratione jube traducere molliter æuum,
Conſilÿ populum dexteritate juuans.
Fallor, an hoc latitant Podalirius, atq; Machaon
Cum Phœbo vatum Principe fortè ſpecu?

Chriſtoph. Cunradus Neythart à Bauſteten Patricius Aug.

IN ANTRVM PHILOSOPHICVM Iohan. Bapt. Beſardi, Veſontini, I. c.

HOc ſcio, dicebat, ſcio quòd nihil, optimus inter
Theſeâ, à Phœbo dictus, in urbe viros.
Hac, Beſarde, tuæ ſedet & ſententia menti;
Socraticè, quod ſcis, te quoque ſcire negas:
Omnigenas Sophiæ dum diſſimulanter inire
Pergis, & haud ceſſas, dum ingrediare, ſpecus.
Scilicet, Aſtrææ eſt Princeps tibi cura placendi,
Vnde tibi & titulos addidit ipſa ſuos.
Cetera tu quamquam tuaq; adÿcis eſſe parerga,
Non ignota tibi res tamen eſſe docet.
Tantopere Themidi ſi te, BESARDE *probaſti,*
Te eſſe Sacerdotem vellet ut illa ſuum:
Quin & Apollo opifer te diligat, & ſua latus
Dona tibi dederit; tu te nec ipſe neges.
Quid quòd Arioniâ ſibi te deuinxerit arte,
Nominibus binis teq; ita Phœbus amet?
Sic triplici vinctus nimirum fune teneris:
Difficile eſt triplicem rumpere funiculum.
Funiculum ô dulcem, Phœbus, Themis, atque Camœnæ
Stringere quo gaudent te, ſimilesq; tui.

Funiculum, ô, nullo rumpi qui tempore poſſit,
Qui quos conſtringit, perpetuoq́ beat.
Nempe, manent tales, durat dum machina mundi,
Canticaq́, inde, Deo non peritura canunt.
M. H. A.

In Antrum Philoſophicum Nobilis, & Clariſſimi Viri Io. Baptiſtæ Beſardi Veſontini, Epigramma ad Lectorem,

GRandiſonis celebret MVSARVM laudibus ANTRVM
Qui volet, aut cuius ſacra tempora Laurus inumbrat
Me nunc, Ecce, nouum juuat ANTRVM hoc dulce BESARDI,
ANTRVM jure Σόφον *quod ſe cognomine jactet.*
Nil hîc plebejum, aut Scriptorum è fece petitum;
Arcanas licet hîc rerum tibi noſcere vires,
Rara, noua, & ſcitu digniſſima, qualia Cous
Vix dedit Hippocrates, aut maximus arte Galenus.
Quin & Chemiæ hîc panduntur lemmata ſacræ;
Quanquam etenim multis ars Chemica ſordeat algâ
Viliùs, ut per quam multi periere nefando
Exitio; tamen hæc non Artis culpa Magiſtræ,
Culpa ſed Artificum eſt, hæc qui myſteria tentant
Prædari, & clauſas Naturæ irrumpere portas;
Nec priùs abſiſtunt fucatis fallere verbis
Incautos homines, quàm ſi rerum omnium egeni,
Ridiculi fiant, & inepti fabula vulgi.
Diſſimilis noſter longè hiſce BESARDVS *Agyrtis,*
Qui dum fortunâ miſcente aduerſa ſecundis,
Cogitur externas trans Pontum quærere terras;

Obuia

Obuia quæq; Virûm Doctorum limina viſit,
Horum in amicitias irrumpit, & abdita ab illis
Naturæ ediſcit ſolers myſteria, quæ mox
Ordine perſpicuo dias in luminis auras
Digeſta emittit, non auri illectus amore,
Sed quò ferre queat Patriæq́; Orbiq́; ſalutem:
Quam det ut IPSA SALVS illi pro munere tanto
O precor, & Pylij conſeruet ad uſq; ſenectam.

I. M. M. S.

Ad Ioannem Bapt. Beſardum.

QVi nouit Leges, Themis eſſe ſuum Aurea dicit,
Qui medicas artes; dicit Apollo ſuum:
Tu noſti Leges, arteſq́; Machaonis: ergo
Sacra tibi Themis eſt Mater, Apollo Pater.

Ionas Nothemenius.

In eundem.

LOnga *quod* ars, *quod* Vita breuis, *jam à tempore longo*
Publica communi ſorte querela gemit:
At contrà, tua per Compendia, docte BESARDE
Vt ſit Longa *facis* Vita, *ſit* ars q́; breuis.

Idem.

AD

AD LECTOREM, DE IOH. BAPT. Beſardo, & præſenti eius opere.

IN Melicâ Phœbo par arte BESARDVS; at Idem
Vincit Chryſocomum Iuris in arte Deum.
In Medicâ Phœbo potior ne ſit arte BESARDVS;
Indicio præſens ſit tibi Lector opus.
Vix morbi genus eſt, quod non curetur in illo:
Si domet hic Mortem, cuncta domare queat.
Arte animos Melicâ; Medicâ reſtaurat uterq;
Corpora; ſed ſolus jure BESARDVS opes.

Idem.

IN SECRETA PHYSICA ET MEDICA Clariſs. Dn. Ioh. Baptiſtæ Beſardi, LL. Doctoris, &c.

Κρυπτὰ γράφεις; γραφθέντα δὲ ὦ Βησάρδ', ἀποκρύπτεις:
Οὐδὲ ῥα θαυμαστὸν: σοὶ καὶ ἔνδοξα δοκεῖται
Καὶ ἄλλοις. κρίσεως μὲν ταύτης αἴτιον οὐδὲν
Εξερέων, τὰ πένων σοὶ εὔχομαι ἄξια δῶρα.

Officioſæ ſatisfactionis ergò F.

M. Moſes Herman.

PARTICVLARES HVIVS OPERIS tituli. Primus

Diuerſos humani corporis affectus curandi modus, partim ex primariis noſtri, & antiqui ſeculi viris; partim ex variis experimentis deſumptus, & in hoc libro methodicè, ac dilucidè, iuxta ordinem Alphabeticum collocatus.

Capita huius libri.

ARTHRITIS, ſeu Podagra, in cuius annotatione, præter interna varia quæ ad curandam remedia afferuntur, & externa pleraque, ad ſedandos dolores, prout aquæ, olea, linimenta, & alia id genus recenſentur. Eodem ferè in cæteris morbis ordine ſeruato. pagina 1
Aſthma, p. 8
Aduſtio, p. 9
Anhelitus prauus, ſeu oris, vel naſi fœtor, p. 10
Calculus in veſicâ. & Renibus, p. 11
Colica paſsio, p. 15
Cancer, p. 16
Carnoſitas. p. 17
Capitis dolor, p. 18
Catarrhus, p. 20
Crurum dolor, & affectus. p. 21
Calli pedum, p. 22
Dyſenteria, p. 23
Dentium dolor, p. 24
Dolores in abſciſsione membrorum, ut euitentur, p. 26
Epilepſia, ſiue morbus Comitialis, p. 27
Emorroides, p. 28
Ethicus, p. 29
Ereſipelas. p. 30
Febris tertiana, p. 30
Febris quartana, p. 30
Febris continua, p. 33
Febris acuta, p. 34
Freneſis, p. 34
Fiſtulæ, p. 35
Gonorrea, p. 35
Gutturis craſsities, p. 36
Hydropiſis, p. 36
Hepatis intemperies, p. 40
Icteritia, p. 41
Lepra, p. 42
Lues Venerea, p. 43
Lienis affectus, p. 47
Melancolia, p. 50
Menſtrui prouocatio in mulierib. p. 54
Menſtrui reſtrictio, p. 56
Mammarum dolores, p. 56
Memoriam iuuantia, p. 56
Morſus venenoſus, p. 58
Morſus rabidi canis, p. 58
Morbus matricularis, p. 58
Peſtis curatio, & à peſte præſeruantia. p. 59
Paraliſis, p. 64
Pleuretis, p. 65
Partus facilitatio, p. 66
Porri pedum, & manuum, p. 67
Ruptura, p. 68
Sciatica, p. 68
Scrofulæ, p. 69
Surditas. p. 72
Scabies. p. 74
Somni prouocatio, p. 76
Sanitas, ut diu conſeruetur, p. 77
Tabes, p. 77
Tumores, p. 78
Viſus debilitas, p. 79
Ventriculi dolor, ac debilitas, p. 81
Vrinæ affectus, p. 83
Vermes, p. 84
Venerem prouocantia. p. 85
Venerem remittentia, p. 86

SECVN-

SECVNDVS TITVLVS PARTICVLARIS.

Selectiorum aliquot medicaminum, tam è mineralibus, quàm vegetabilibus, quæ à Phyſicis peritioribus uſui eſſe ſolent; quorum in curatione ſuperiorum affectuum facta mentio eſt, deſcriptiones fideles.

Capita huius libri.

Aurum potabile, iuxta vulgares medicos, p. 87
Aurum potabile iuxta pleroſque Phyſicos, p. 88
Aurum potabile iuxta Philoſophos inſignes. p. 88
Aquila Mineralis Theophraſti, ſiue puluis Mercurialis Diaphoreticus; medicamentum inſigne, p. 90
Præcipitatum rubrū ex Mercurio. p. 92
Præcipitatum album Mercurii, p. 93
Præcipitatum Mercurii ſine aquâ forti, p. 93
De Antimonio, p. 99
Puluis Antimonialis inſigniter præparatus, p. 94
Flores Antimonii vulgares, p. 95
Alia præparatio florum antimonii breuior, p. 96
Tertia præparatio facilima, & breuiſsima, p. 97
Quarta præparatio florum antimonii ſuprà omnes excellens, eò quòd per vomitum minimè purgent. p. 97. 98
De Regulo Antimonii, & medicamento quod ex eo fit. p. 98
Medicamentū quod fit ex Luna. p. 99
Laudanum inſigne, p 99
Aliud Laudanum ad febres malignas. p. 99
Binæ elebori nigri præparatiōes, p. 100
Tertia præparatio elebori nigri præ cæteris excellens, atq; mirabilis, p. 101
Sennæ præparatio, p. 103
Lapis vegetabilis, p. 104
Quinta eſſentia vini, ſeu Mercurius Vegetabilis, p. 105
Elixir vitæ, ſpiritus vini compoſitus, p. 106
Extractum à ſpiritu vini, ſeu aqua cœleſtis, p. 109
Extractum tertium, p. 110
Extractum quartum, p. 110
Extractum quintum, abſque diſtillatione, vētriculi debilitati peculiare, 111
Aqua Chelidoniæ, & oleum. p. 112
Aqua, & oleum roriſmarini, p. 112
Aqua cinamomi, ſpiritus, & oleū, 113
Aqua ſancta, & oleum, p. 113
Aqua calcis viuæ, p. 115
Oleum perfoiatæ, p. 115
Oleum rutæ, p. 115
Oleum florū, & herbarum omniū, 116
Oleum cranii hominis, p. 116
Acetum ſcquillinicum, p. 116
Oleum ceræ, ſeu cœleſte p. 117
Oleum mellis, & therebentinæ, p 117
Oleum iuniperi, p. 118
Olei vitrioli diuerſæ præparatiōes, 118
Oleum ſulphuris, p. 122
Oleū ſulphuris ſecundū Chimicos 122
Oleum ſulphuris multiplicatiuū, p. 123
Oleum Tartari vini. p. 123
Oleum, ſiue tinctura coralloru. p. 124
Oleum margaritatum, ſeu eſſentia, 124
Oleum Philoſophorū, de lateribus, 125
Oleum de ouis, p. 125
Modus extrahendi quatuor elemēta ſeorſim, à quolibet compoſito. p. 126
Balſamus ad internos dolores. p. 128
Balſamus 2. qui & oleū incōbuſtibile. p. 128

Balſa-

Balſamus 3. p. 129
Vnguentum ad percuſsiones, vulnera, oſſa torta. &c. p. 125
Alterum unguentum ad eadem, p. 130
Vnguentum Diui Coſmæ nuncupatum, p. 130
Linimentum facile ad vulnera. p. 131
Vnguentum ad manuum, & labiorum crepaturas, p. 131
Vnguentum, quod pellem oculorum, ſurſum vel deorſum retractam, paucisſimis diebus, in debitum ſtatum reſtituit, p. 131
Vnguentum mollificans. p. 132
Aliud unguentum mollificans, abſtergens, incarnans, refrigerans, purgans, reſtringens. p. 132
TERTIVS TITVLVS PARTICVLARIS περὶ τῶν κοσμικῶν
Siue arcanorum quæ ad humani corporis decorem, & venuſtatem ſpectant, deſcriptiones variæ.
Capita huius libri.
Aquarum ſummè venuſtantium, atque dealbantium conficiendarũ modi ſex; quorum primi quatuor per diſtillationem, reliqui verò per ebullitionem fiunt, p. 134
Aquæ talci extrahendi modi tres, 137
Olei à talco eliciendi modi quinq;, 139
Oleũ de unionibus ſiue margaritis. 142
Linimenta ad vultus decorationem apprimè conuenientia, ſex. 143
Sapo niger odoriferus. p. 147
Alter ſapo ſummè venuſtans, & odoriferus, p. 147
Sapo. qui Italis balle del melone. 148
Dentium mundificandorum, ac dealbandorum modus. p 148
De capillorum decoramento, p. 149
Capilli cani ut nigreſcant, p. 149
Lixiuium pro ungendis mulierum capillis. 150
Aliud lixiuium ad idem. p. 150
Capilli mulierum ut aurei coloris fiant. p. 151
Capilli ut citisſimè creſcant, & naſcantur. p. 151
Pili ne cadant. p. 151
Pili ut excidant, poſtmodum renaſcentes. p. 152
Pili ut excidant, haud amplius renaſcentes. 152
QVARTVS TITVLVS PARTICVLARIS. De variis ſuauiter odorantium confectionibus annotationes.
Capita huius libri.
Aqua roſarum perfectisſima. p. 153
Aqua odorifera moſchiata. 154
Alia aqua odorifera, quæ fit per ebullitionem. p. 154
Aqua ſummè odorifera, per diſtillationem. p. 154
Aqua Mirrhæ. p. 155
Aqua odorans potentisſima, cuius particula plurimas alterius aquæ communis odoratisſimas præſtat. 155
Aqua pro ſuffumigio. p. 156
Aqua, vulgò Angelica. p. 156
Oleum Iaſmini, belzuini, & ſtoracis calamitæ, p. 156
Oleum cedri, limonum, & malorum aureorum. p. 157
Oleum moſci. p. 157
Suffumigium odoriferum. p. 158
Aliud ſuffumigium pro capſulis, p. 158
Paſta odorifera, ex quâ fieri ſolent catenæ, globuli, & alia id genus, p. 159
Paſta ſummè odorifera, ſanitati conducens. p. 160

Puluinaria odorifera. p. 160
Puluis Cyprius albus, p. 160
Puluis Cyprius, alterius præparationis, p. 161
Puluis Imperialis, p. 161
Puluis è zibetto, p. 162
Linimentum, vel potius unguentum odoriferum, p. 162
Tabellæ odoriferæ ad eſum, p. 162
Modi varii præparandi pelles coriaceas, chirothecas, & alia eiuſmodi ſummè odorifera. p. 163
QVINTVS HVIVS OPERIS TITVLVS PARTICVLARIS.
De variis Mineralium, & Metallorum præparationibus, arcana ſelectiſsima.
Capita huius libri.
Turris Athanor, ſeu furnus Philoſophicus, p. 166
Lutum Sapientiæ commune. p. 168
Lutum ordinarium, vaſis, recipientibus, capellis, & aliis eiuſmodi in diſtillatione adhibendum, p. 169
Lutum fortiſsimum quod fieri poſsit, p. 169
Sigillum Hermetis, p. 169
Filtra, p. 169
Nomina, & ſigna metallorum, p. 170
Aquæ fortes, p. 170
Aqua Regia, p. 171
Aqua fortiſsima, p. 171
Acetum diſtillatum, p. 171
Salis communis ordinaria præparatio. p. 172
Alia præparatio ſalis communis, exactiſsima, p. 173
Salis Tartari præparatio Chimica, 174
Sal Elembrot, p. 174
Sal Alkali, p. 17
Sal Indicum, p. 175
Sal Armoniacum, p. 175
Aqua ſalis Armoniaci, p. 175
De Arcenico, p. 176
Aqua ſalis communis, p. 177
Oleum ſalis communis. p. 178
Sal, & oleum urinæ humanæ, p. 178
Oleum ſalis nitri, p. 178
Oleum mellis, & ceræ Chimicū, p. 179
Oleum ſulphuris Chimicum, p. 179
Oleum Ceruſſæ, p. 179
Oleum Antimonii, p. 180
Oleum Antimonii per ſpiritum vini extractum, p. 181
Spiritus Vitrioli, p. 182
Variæ præparationes ſulphuris. Cap. iii. 182
De Metallis, ac in primis de auro. 184
De auri calcinatione. p. 185
De reductione auri in oleum, p. 186
De extractione ſpiritus, ſeu animæ auri, p. 187
De præparatione argenti, ſeu Lunæ, 188
De fixatione Lunæ, p. 188
De Cupro, ſeu Venere. p. 189
Mixtura, quæ fit ex Venere, Sole, & Lunâ, p. 190
Præparatio Veneris ad auctionem Solarem, p. 191
De plumbo ſeu Saturno, p. 191
Mercurius Saturni, p. 194
Mixtura Saturni cū Sole & Venere, 194
Medicina è Mercurio Saturni, p. 194
De Ioue, ſeu ſtagno, p. 195
Medicina ex Ioue, p. 196
De Marte, ſeu ferro, p. 197
Crocus Martis, p. 197
De Mercurio ſiue Argento viuo. p. 199
Variæ ſublimationes, ac fixationes Mercurii. p. 200
Medicina ex ſale Mercurii, p. 200
Variæ

Variæ tincturæ ad Solem, & Lunam, in ſex capita. p. 203
De Lunaria maiore, & quæ de ea narrantur, p. 207
Quomodo Mercurius in opere Phyſico debeat repurgari, p. 208
Tres deſcriptiones lapidis Phyſici, ex tribus fragmentis peculiaribus, in tria capita p. 209

SEXTVS TITVLVS PARTICVLARIS.

De variis Experimentis.

Capita huius Libri.

De unionibus artificialibus, p. 219
De lapidibus artificialibus, ac primùm de Corallo, p. 221
De Smaragdo artificiali, p. 222
De Rubino artificiali, p. 222
De Ambrâ artificiali, p. 223
Diſſolutio, & congellatio omnium lapidum prætioſorum, p. 223
Colores lapidibus prætioſis conuenientes, p. 223
De Chriſtallo, quomodo mollificetur, liquefiat, & tingatur, p. 224
De vitro, ut fiat maleabile, & durū, 225
De artificio ſingulari, facili, & magni valoris apparente; quod vili tamen prætio conficitur, p. 226
Ferrum inſtar chalybis orientalis præparatum, p. 226
Ferrum, ut molle fiat, p. 227
Aqua, quæ ferrum corrodit, p. 227
Vnguentum quod ferrū infringit, 228
De Armis, arcana varia, p. 226
De varii generis ignibus, prout volante, Græco, violentiſsimo, æterno &c in plura capitula, p. 230
Præparationes aliquæ Mechanicæ, de Auro, p. 232
In aliquot item capita, p. 233
De Argento, p. 234
De Coloribus, p. 235
De Azuro ordinario, p. 236
De Azuro Hiſpanico, p. 236
De Azuro ultramarino, p. 237
De colore viridi, p. 238
De colore rubeo. p. 238
De animalibus quibuſdam obſeruationes aliquot. p. 239
De Vinis, eorum præparatione, & quomodo ex prauâ in optimam qualitatem reduci poſsint. p. 242
De frumento, & illius multiplicatione, p. 242
De literis, & quibus modis clam exportari, & per aerem, velociſsimo curſu, naturaliter transferri poſsint. p. 244
De lapide aliquo artificiali, ardente in aquâ, & maius lumen quauis face præbente. p. 246
Sclopetum, cuius globulus exploſus, armaturam quantumuis fortem, & munitam perforat, p. 246
Modus conficiendi choridas pro teſtudine, & cæteris inſtrumentis muſicalibus, valdè ſonoras. p. 246
Teſtudinis ſonum ut ſurdus audiat. p. 246
Teſtudinem, ut quis alteri iam concordatæ, quam nuſquam audierit, in puncto uniſonam accordare poſsit, p. 246
Alberti Magni varia, de amore hominum conciliando, p. 247
Motus perpetui, abſque ullo ponderis, vel aquæ adminiculo conficiendi documentum. p. 248

FINIS.

REGVLA GENERALIS IN OMNIBVS medicis operationibus eſto.

VT nullæ diſtillationes, decoctiones, extractiones, euaporationes, aut ſimiles medicæ præſcriptiones, fiant in vaſis æneis, at ſaltem in vitreis aut vitreatis.

Ac ubi internâ, & externâ remediorum præſtatione opus erit, ab illâ (internâ videlicet) ducatur primordium; ni vrgens neceſſitas aliud ſuadeat.

Item ut in omni ſumptione medicamenti, ſeu alio quouis medicinali actu, conuenientia tempora, ſi fieri poteſt, acuratè ſeruentur. Habent ſiquidem Planetæ ſuos aſpectus interdum meliores, quibus talia fieri haud dubiè ſatius eſt.

Ex his quinque narrantur boni, nempe Iuppiter, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Mali verò Saturnus, & Mars. Si ergo medicamentū aliquod confortans alicui ſit exhibendum, die & horâ Regnantis illius Planetæ, id ut fiat, proſpiciatur. De quâ materiâ plura in aliis authoribus.

Notet

Notet utique, qui medicamentum Chimicum ſit exhibiturus, è Sole (puta) uel Mercurio, prout à Chimicis nominantur, dies itẽ & horas, quibus illi Planetæ dominantur eligat; ac ſimiliter in cæteris.

Aduertatur præterea (ſi plerique ſcriptoribus credere fas eſt) quartum Lunæ diem ęgrotis periculoſiſſimum: qui, ſi præteriri poſſit, indeque uel minimùm conualeat ęger, haud in vanũ priſtinam ſalutem ſperari poſſe.

Item, quod punctum cuiuſuis nouilunii æquè ſit periculoſum: in quo, ſi uel tantillum ſiniſtri cuipiam accidat, mortale eſſe, ex longo vſu, plerique obſeruarunt.

Item ut omnes herbârum collectiones creſcẽte Lunâ fiant, operationes verò Chimicæ quælibet, diebus illius bonis.

Quinam boni & mali illi ſint, vide Albertum in tractatu de Planetis, & alios.

DIVERSOS HVMANI CORPORIS AFFECTVS CVRANDI MODVS,

Partim ex primariis noſtri, & antiqui ſeculi viris, partim ex varijs experimentis deſumptus, & in hoc libro methodicè ac dilucidè iuxta ordinem Alphabeticum collocatus.

ARTHRITIS SEV PODAGRA.

ARTHRITIDEM, quam Theophraſtus Paracelſus morbũ Tartareũ, medicorũ vulgus Podagrã paſſim nominat, freqũetem humani corporis affectum plerique deploratum, atque incurabilem eà de causâ cenſent, quia multis ordinariorum remedijs interdum quidem leuetur, at ſæpius, & per interualla recurrere ſoleat. Ego vero qui ab Omnipotente Deo ſua quæq; malis omnibus creata remedia plane exiſtimo, ſequẽtibus remediis tolli, & omninò curari poſſe, ita ut nuſquã recurſurus ſit morbus, & rationibus, & experientia mihi perſuaſum habeo. Quamquã in illius curatione qualitates, & circũſtantias omnes, atq; ægri potiſsimum naturam & ſtatũ apprimè examinare, & accuratè perſcrutari nõ tantum laudo, ſed & omninò neceſſarium reor. Si enim is exiſtat, qui vel nimis añoſus, vel cacochimi ſtatus, & omnino malè affecti corporis, aut morbũ hereditariò patiatur facilẽ, aut multis notam eiuſmodi curam vix auſim polliceri, præſertim ſi morbus no-

A doſus,

doſus, inueteratus, & in omnes corporis articulos generaliter diſtenſus: ſin minus, á ſequentibus proximè remediis Curationem audacter auſpicare, ab interna eorundē præſtatione (quæ in cuiuslibet affectûs curatione, ni ſumus dolor aliud ſuadeat præcedere debet) ſic aggrediendo.

SIRVPVS PRÆPARANS.

Ante omnia corpus ægri iuxta conſilium ſapientis ſiue humor potius peccans reddatur fluidus, ſequenti ſirupo bis terue ſub ſequentibus diebus repetendo. ℞. ſirup. de Nenuphare, de Bettonica ana ℥I S. aquarum lactucæ, vel decocti Nenupharis, ſaluiæ, violarum. roris marini ana ℥I, S. fiat potio matutinis horis ſumenda.

MEDICAMENTVM DIAPHORETICVM.

Poſt eiusmodi ſirupi ſumptionem ter ad minimum repetitam exhibeatur ęgro puluis diaphoreticus Mercurialis noſtræ deſcriptionis in 2 part. huius operis ad doſim v. VI. VII. & VIII. gr. prout ægri vires ferent, iſque cum ʒ I. aut II. Elect. de ſucco roſar. vel Elect. roſ. Meſue. Quamquam inſignis alicuius authoris iudicio melius futurum ſit, ſi prædictus puluis ita præparetur.

℞ pulueris Mercurialis de quo ſuperius ℥S. aloes hepatici loti ſepties in aquâ Yuæ artritica ʒ II. florum Antimonij reuerberatorum ℈ I croci Martis ʒ S. moſci orient. g. IIII Omnibus in maſsam redactis, cum extracto de Stæcade Arabico cui addantur v. aut VI. guttæ olei Vitr. formentur pill. inſtar paruorum piſorum, ex quibus vnam, aut alteram pro ratione virium ſumat æger.

Quod

Quod ſi ex iſtiusmodi medicamenti ſumptione ventriculus forte debilitetur, aut non conſiſtant vires, vel aliud quippiam ſiniſtri metuatur; ſumat ſequenti die patiens conſer. Abſinthij vel huius penuriâ conſeruæ Saluiæ ℥ III, ſpecierum aromatici roſati ʒS, quæ miſceantur cum ſirup. de Abſinthio, Si deſint hæ conſeruæ, ſumantur ʒ II. aromatici roſati.

POTIO SVDORIFICA
AD PODAGRAM.

℞ radicis Chinæ, vel Sarcæ parillæ manip. i. aut ℥ I. Yuæ artriticæ ℥ I. addito etiam manip. I Cardonis benedicti, & ℥ I corticis Guaiaci: bulliant hæc in iii. aut iiii libris aquæ fontis uſque ad reductionem medietatis, coletur decoctio, huicq; in tres partes diuiſæ addantur vnicuique quinque vel ſex guttæ tincturæ Corallorum terna vice ternis ſubſequentibus diebus exhibitæ.

BALNEVM AD PODAGRAM.

Quibus quidem diebus, binis ante prandium horis præparetur ſequens balneũ in quo maneat ęger quó ad poterit.

℞ malu. Biſmalu. ſeu Alteæ in ſufficienti quantitate, Roris Mar, Maioranæ, Iſopi ana manip. II. vini rubei pocula ij. Omnibus mixtis bulliant hæc in lebete magno, & poſtmodum cum ea decoctione fiat balneum aliquantùm calidum. in quo decumbat ęgrotus ea ratione uti dictũ eſt.

TABELLÆ AD EANDEM.

Veſperi ante decubitum hiſce balnei diebus exhibeantur tabellę ciuſmodi ad doſim ʒ ii. ℞ puluer. diadraganti

Diarrodon abbatis, electuarij Sandalorum ana ℨI boliarm. preparati in aqua roſarum ℨ. S. eſsentiæ margaritarum & tincturæ corallorum ana ℈ I, ſacchari optimi liquefacti in aquà Yuę artriticà. ſiant ex his tabellæ in modum electuarij decocti, è quibus antedictam doſim illo ipſo tempore ſumat ęger.

Quibus peractis ſi ſubſiſtant vires, denuo exhibeatur medicamentum diaphoreticum antecedens, auctá vel minutâ pro vt videbitur doſi. Item potio ſudorifica ſuperiũs deſcripta, vná cũ tabellis, diebus videlicet quibus præfatum medicamentum non exhibebitur.

Is Curationis modus ad tertiam. quartam, ſextamue vicem poterit iterari, imò vſque ad ſanitatis recuperationem continuari. Quo interim tempore ad leniendos dolores, & ſoluendos nodos podagricos hæc erunt præſentiſsima remedia.

ANODINVM ANTIPODAGRICVM
AD SEDANDOS DOLORES.

Calx viua per quinque vel ſex dies immergatur in aquam fontis, quę ſuperemineat ad quatuor vel quinque digitos. Huius aquę accipiantur lib. iiii in quibus lamina chalybis feruentis duodecies aut plus extinguatur, & poſtea immergatur in hanc æs uſtum in puluerem redactũ ad ℥ iiii. ſtent per quatuor aut quinque dies, & viridem ea aqua capiet colorem ex vitriolo interno ęris vſti, dequa tepidè foueantur partes dolentes cum linteaminibus ſępe iteratis Quercetanus.

ALIA AQVA ANTIPODAGRICA.

℞ ſaponis

℞ ſaponis Genuenſis albi ℥ I, ſalis fuſi ad fortiſsimum ignem ℥ I. S. Vitrioli ℥ I, Acaſſiæ ℥ S. bulliant omnia in menſura videlicet in lib. Circiter ii aceti roſacei, aut alterius communis. Cola, & de colatura tepidè foueantur partes dolentes.

CATAPLASMA ANTIPODAGRICVM

℞ Medullæ Caſſiæ ℥ iiii Theriacę recentis ℥ S. farinæ hordei, & auenæ ana ʒ iii. micę panis albi ʒ iiii lactis vaccini lib. ii, vel iii, decoquantur hęc in formam cataplaſmatis, cui addatur ℥ 1. vitrioli ſubtiliſsimè triti, at primò calcinati, quod cataplaſma calidiſſimè partibus dolentibus applicetur.

ALIVD CATAPLASMA.

℞ Vrticam tritam cum aceto & adhibe parti dolenti. Item vrinam ſani alicuius iuuenis uſq; ad medietatem decoctam, atq; vti ſuperius applicatam videlicet cum linteaminibus ſępe iteratis, Aut. ſumantur folia porri, quæ bulliant in oleo cõmuni, & applicentur dolori, vel folia ſambuci quæ itidem bulliant, ſed in vino albo calidè admoto.

VNGVENTVM ANTIPODAGRICVM.

Sumantur caniculi alicuius ſed admodum pinguis carnes cum adipe Anſeris, & Vulpis medulla, cornu Cerui Hedera, Saluia, Ruta cera alba ex his ad libitum, additis ouorum aſſatis aliquot vitellis multiſque Limacibus imponantur hęc in vas ſubtus perforatum; in ſuperiori parte verò ſtrictè occluſum, & ſigillatum, quod in aliud item vas ad ignem ſat fortem apponatur, in quod liquor

qui inſtar olei emanabit poſſit recipi: quo liquore vtatur ęgrotus.

ALIVD VNGVENTVM ANTIPODAGRICVM.

Sume carnes vulpeculę tandiu in vino optimo decoctas, donec oſſa appareant, & ab illis ſeparentur. Has tere fortiter, & ſuccum in vino denuò decoctum exprime, & iterum coque donec in vnguenti ſpiſſitudinem tranſeat, cui poſtæ adde cerę rubrę, pulueris Maſticis, Caſtorei, bdellij, Myrrhę quantum lubebit. cum pauxillo Euforbij, & Moſci.

Oleum oliuarum cum Thure, albumine ouorum, & adipe ſuillo decoctum, donec in ſpiſſitudinem vnguenti tranſeat inter probata remedia cenſetur. vti & poma aliquot mundata primò: deinde cocta, atque cum oui vitello in formam vnguenti commixta.

Nonnulli cum felici ſucceſſu circa nodos podagricos cucurbitas applicant, quas multam eos diſſipandi vim habere certò credũt, ſi modò iis olea, & emplaſtra ex Reſina, & aliis gum̃is confecta poſtmodũ quoq; applicentur.

Ventriculus podagricis debet poſtmodum Theriaca, vel aqua theriacali corroborari, & iis ciborum temperantia omnino pręſcribi.

OLEA ANTIPODAGRICA.

Menſe Maio ſume folia Iuſquiamj quibus impleatur vas aliquod vitreum hermeticè clauſum quod ſub loco quo multi conuenire, ac pertranſire ſolent, per integrum trimeſtre recondatur; ita fiet vt oleum infrá, folia verò in ſuperiori vaſis parte ſis reperturus. Quo vtere ad leniendos

dolores

dolores Podagricos, Verùm ab vnctione capitis, aut alterius non dolentis partis ob nimiam videlicet illius penetrationem cauendo.

Vel ℞ vermes ſilueſtres qui aquà puteali abluantur, & poſtea in panno lineo mundo exiccanda extendantur, atque inde in vas vitreum ritè occluſum cum oleo communi ad tres digitos ſupereminēte immittantur, quod admoue in fimum equinum calidum per dies ſex. Cuius olei vnctione vtere ſi dolor ex cauſa calida procedat, ſin verò ex frigida, hiſce adde in vaſe prędicto ſed à principio flores roriſmarini, ac extracto tandem olei roſati ℥ iiii, adipis hominis ℥. I. cum modico aquæ vitæ dum vti volueris, at calidè. Hoc oleum ad Sciaticas ſummè quoque valet.

Valet & ad podagricum hunc affectum oleum cucumeris Aſinini. quod fit ex illius lib. i elixa cum lib. i S. olei oliuarum antiqui ſumma coctione do nec herba arida, & exſiccata appareat, oleo inde forti expreſſione extracto, & colato quod ad neruorum item dolores conducit.

Conducit & ad Arthritidem oleum vitrioli cum aqua roſarum ebibitum. Item elixir, vitę noſtrę præparationis cum modico Iulepi violati. Cauteria in hoc affectu à pleriſque phyſicis probantur.

Denique Arthritidis dolorem ſummé iuuari, imo & illico ſedari hoc vnico remedio didici.

In ſpiritum vini ſummè rectificatum immittatur aliquantum ſaponis veneti minutiſſimè ſecti, qui in eo per ignis immiſſionem diſſoluatur: imponatur hæc diſſolutio per linteum expreſſa denuo in fialam vnde deſumpta eſt, cum alio vini ſpiritu quo linitus dolor apprimè & confeſtim ſedabitur.

ASMA.

ASMA.

SIRVPVS.

℞. Pulmonariæ manip I. S. foliorum Scabioſę, Capilli Veneris mediocriter exſiccati, foliorum Maluæ aliquantum ſiccorum ana manip S. liquiritię ʒ iii, paſſularum dulcium ℥ i. ficorum pinguium exſiccatorum & minutim ſciſſorum ℥ I S. miſce & in ſufficienti quantitate aquæ mediocriter decoque, quam cola poſtmodum, & in colatura, adde ſucci olerum depurati lib. S. & ſacchari albi quantum ſufficit: fiat ſirupus colatus, atque cum aquarum Scabioſæ, & Maluarum ℥ I commixtus. Cuius ſirupi doſis ſint ℥ ii vel etiam iii ordinario modo ſumptæ.

Lapidis vegetabilis noſtræ deſcriptionis ʒ i cum modico iulepi violati per dies aliquot ſucceſſiuè ebibita huic affectui ſummè prodeſt.

ELECTVARIVM.

Dum aliquandiu vel ſirupo præcedente, vel altero noſtro remedio fueris vſus ſume decoctionem capitis hædini cum modico frumenti, & ordei cui adde butiri recentis & olei amigdalarum dulcium ana ℥ ii cum binis ouorum vitellis è quibus fiat electuarium de quo bis in ſeptimana ante cibum pauxillum ſumatur: vnctiones verò ex oleo roſato & mirtino vmbilico fiant.

VNCTIONES.

℞ Olei amigdalarum dulcium, olei violati ana ℥ I. mucilaginis, Pſillii, & citoniorum: miſce ad lentum ignem ac eo liquore ſpinam dorſi vnge; ventriculus verò oleo maſticis liniatur.

Item

Item ℞ axungiarum Gallinæ, Anſeris, Anatis, Suis, medullæ bouis, butiri recẽtis, olei violati ana ad libitum: quibus ſimul commixtis, adde gummi arabici & diadragantis quantum ad vnguentum ſufficit, quod antequam adhibeas fomententur partes cum decoctione malauiſci: indeque ſuperius vnguentum pectori admoueatur.

ADVSTIO

Multa ſunt ad hunc affectum remedia quorum nonnulla hic ſcribam.

Defenſiua ad dolorem leniendum donec alia ſint in promptu ſunt aqua roſarum cum butyro recenti liquefacto & cera alba. Item aqua, & acetum.

Inde liniatur pars affecta vel oleo nucum, aut cæpis cum ſale, vel melle, aut agreſti tritis, vel admotione olei ceræ, vel ouorum,

Vnguentum populeum, albumq; Raſis cui camphora admixta ſit inter tutiſſima remedia connumerantur.

Valet & vnguentum è ſolatri, ſucci plantaginis, uſtneæ in tectis concretæ ana ℥ i, litargirii auri & argenti, ceruſæ lotæ ana ℥ S. mucilaginis, ſeminum malorum cytoniorum, & pſilii ana ℥ S. vnguenti populei ʒ S. cretæ ʒ iii. omnibus ſimul commixtis.

Vel. ℞. olei violati, ceræ albæ, & ceruſæ quantum volueris quibus ad lentum ignem mixtis, & liquefactis pars aduſta inungatur.

Expertus ſum ſæpius ſecundum ſambuci corticem, viridem illum tenuiorem ſcilicet, cum aceto &, oleo communi vſque ad conſumptionem totius aceti ebullitum

addito ceræ ſub finem modico ſummum eſſe in aduſtione quauis remedium dolorem illico amouens, ſi eo pars affecta liniatur. Valet & hoc ad tineam, & ſcabiem.

Axungia porci non ſalſa, cum foliis hederæ intertexta ad modum carnium aſſata pinguedinem emittit, quà ſecurè in hoc affectu uti potes. Interim dum tale conficitur linimentum, admoueatur parti dolenti albumen vnius aut alterius oui, cum cortice percuſſũ admotis linteis.

Denique ad huius affectus leuamen ſummum remedium eſt, ſi vtaris emplaſtro confecto ex calce viua ſubtiliſſimè trita, & modico olei communis: quod emplaſtrum prout pars aduſta in dies minuetur ita minorari, & reſecari debet. Hoc remedio ſi non ita ſerò vtare, de notis haudquaquam ex aduſtione remanſuris certus es.

Inflammatio verò quæ non ab aduſtione extrinſeca ſed intrinſeca aliqua cauſa procedit, ſummè iuuatur hac fomentatione.

℞ aquarum plantaginis, & lactucæ, ſucci herbæ ſemperuiuæ. Miſce cum albumine oui.

ANHELITVS SEV ORIS
VEL NASI FOETOR.

ANHELITUM prauum qui ex aliquo ventriculi vitio generatur ſi flores vnà cum fructibus mortellę in ægrotantis ſed ieiuni potu ſępius adhibeantur abſque dubio corrigi poſſe dudũ experientia docuit. Eũ vero qui à capitis intemperie promanat ſequentibus remediis tutè curari.

℞ ſucci mentæ, & rutæ ana quantum lubebit: miſce, & ſæpius naribus admoue.

Pullegium cum ſerpilio exſiccato maſticatum, vel cum

vino

vino ſæpius ebibitum oris fœtorem pariter tollit.

Item ſuccus radicis Ireos ſæpius naſo impoſitus, in quem aliquid pulueris aloes calamo debet immitti ſi in eo vlcus adſit.

Semina rutæ & abſinthij cum piretro commixta trita & in nares appoſita illarum fœtorem ſanare poſſe cēſentur. In quibus ſi aliqua fuerit obſtructio admotione decocti ſeminis vrticæ cum aqua communi ſæpius fomentatæ curentur. Nonnulli ſaltem vtuntur Cariofilis, Alii ſucco dragonteæ.

B.

CALCVLVS IN VESICA ET RENIBVS.

Hunc item Tartareum affectum Paracelſus nominat: cuius curationi ita debes attendere, vt ante omnia corpus ęgri via phyſica fluidum reddatur, in tantum vt exuberans humor euacuari poſſit. Quo abſoluto tanquam ſummo remedio vtere aqua ſequente.

Aqua contra Calculum ſummè præualens.

℞ raſuræ quercus mundę, ex qua fiat aqua ſecundum artē balneo maris rectificata: in quam aquam iniice chriſtalli minutiſſimè triti, per horas aliquot in tegula calcinati & candentis quantū lubebit, vel huic dictā aquā: hocq; repete toties donec per frequentem eiuſmodi iniectionem ea aqua ſubflaua fiat. Serua cum fecibus, nimirū cum chriſtallo: atq; ex hac exhibe mane coclear plenum ęgroto donec per multam arenæ ſeu lapillorum emiſſionem ſanus

 conual-

conualuerit.

Ex chriſtallo item tenuiſſimè trito, & aqua millefolii vel Saxifragię fit & alia commixtio, cuius ſi ℥ S. vel circiter eb ibatur, ea hunc affectum patientem ſumè iuuabit. At ch riſtallum melius cum ſpiritu vini calcinari plerique cenſent.

Alia aqua contra Calculum.

Sumantur radices rafanorum, & vrticarum in copia, ex hiſque fiat aqua ſecundum artem, ex qua manè paulum ſumat æger, ſed ieiunus. Cuiquidem aquæ ſi aliquid ſucci limonum addideris, eó fiet efficacior.

Pulueres contra Calculum.

Puluis ſeminis herbæ millefolii vere collecti, ac minutiſſime triti, ad doſim ℥ i cum vino albo, aut iuſculo matutino tēpore ſed ieiunè ebibitus quàm ſit præſens ad hoc remedium experientia me docuit, prẹſertim ſi bis, terue ſubſequentibus diebus ea ſumptio repetatur.

Item ℞. ſanguinem; & pellem leporis, quæ in vaſe terreo nouo uitreato, atq; coperto tādiu comburantur donec in cinerem redigantur: ex quo puluere ſumatur doſis vnius coclearis cum vino calido, debita antecedente purgatione Vel vtere decoctione Agrimoniæ, aut eadem ipſa herba cum vino vel aquis conuenientibus.

Eſt alius puluis contra Calculum ſummopere valens, qui ſic fit. ℞ ſeminum Apii, ſaxifragię, & hederæ, nuccularum, liquiritii, cubebarum ſeminis melonum, & cucurbitarū: ex quibus omnibus ſimul, ac ſubtiliter tritis fiat cum aceto ſquillitico maſſa, quæ ad vmbram exſiccata denuo

teratur,

teratur, atque in puluerem reducatur ex quo ſumatur ab ęgro quantum cocleari vno capi poterit.

Cæterum aliquis vir apprimè doctus aliquando aſſeuerauit ſpiritum vini optimum cum aquis petroſilii & fragarũ mixtum addita maluatici æquali parte in vaſe decenter occluſo ad Solem per menſes duos expoſitum, adq́; doſim circiter unciæ unius ebibitum præſtantiſſimum quod hactenus contra eiuſmodi affectum noſſet remedium eſſe.

Alius puluis contra Calculum vnà cum modo procedendi in cura.

℞ Cineris ſcorpionum vſtorum, ℈ i corticis ouorum in quo nati ſint pulli tenuiſſimè contriti ℈ i, ſanguinis Hirci ℥ i, petroſilij, apii ana ʒ i, milii ſaluatici ℈ ii, ſeminum Vrticę, g. viii, ſtercoris muris ℈ i, cinamomi, & Cardamomi ana ℈ i, radicis ſaxifragiæ ʒ i, dialeccæ magnæ ℈ ii, omnibus mixtis, atque ſubtiliter tritis ex eiuſmodi puluere mane & veſperi in decubitu ſumat ęger ʒ i, ſed cum decoctione ſequenti.

DECOCTIO Ad SVPERIOREM puluerem.

℞. ſaxifragiæ, radicis Sparagorum, quatuor ſeminum frigidorum ana ℥ i. Bulliant hæc in tribus lib. aquę fontis vſque ad conſumptionem duarum partium, cumq; huius decoctionis v, vel vi. ℥. ſumatur puluis antedictus immediatè pręcedens, vel etiam cum iuſculo piſorum rubrorum, aut cum oleo amigdalarum dulcium bis in die vti dictum eſt, atq; iſthinc ſequens teſticulis emplaſtrum ſuperponatur.

℞. olei ſcorpionum ℥ iiii, ariſtologiæ rotundæ, gentianæ corticum, & radicum capparorum, ſaxifragiæ, milii ſaluatici ana ℥ i. Omnia ſubtiliter terantur additis ℥ ii mucilaginis bonauiſci. è quibus fiat emplaſtrum calidiſſimè applicatum ægrotanti, cui demum hæc potio exhibeatur.

POTIO AD CALCVLVM.

℞ Piſorum rubrorum ℥ vi. quæ decoquantur in aqua cum oleo amigdalarum dulcium; aquæ ſint lib. vi, & olei ℥ ii, bulliantque vſq; ad conſumptionem medietatis, cola, & in colatura adde capilli Veneris, radicis Sparagorũ ana ℥ i, quæ iterum vſque ad quartæ partis conſumptionem bulliat, ac de nouo coletur: ex qua poſtrema colatura ſumantur ℥ iiii cũ ℥ ii aceti ſquillitici tepidè manè in aurora. Tumque expreſſo ex eiuſmodi remedio calculo repurgetur ægrotus ab eo humore craſſo qui in vrina apparebit, idque ſecundum viam ordinariam, regimine victus apprimè ſeruato.

Aliqui leporem viuum calenti furno admouent, ita quòd in eo moriatur, comburatur, nilque ex eo quàm oſſa ſola remaneat, quorum é puluere ʒ ii in vino albo per nouem ſubſequẽtes dies ſumunt, ab omni leguminum eſu abſtinentes.

Prodeſt & in hoc affectu conſerua, ſeu confectio deſcripta in curatione phreneſis, mane, & veſperi ſumenda.

Interim oleum vitrioli haud negligendum hac in parte eſt; quia ſi pauxillum illius cum aqua ſaxifragiæ ſumpſeris, ſummam illius in hoc affectu energiam certò experturus es.

COLICA

Idem de quo proximè Vitrioli ſcilicet oleum ſi ſit in manibus ſummum quoque ad hunc affectum, & excellens remedium eſt. ſi vel modicum illius cum aquâ Berbenæ, vel Artemiſiæ ſumatur.

PVLVIS.

Aliàs Quinquefolium herba ad vmbram exſiccata, ac tenuiſſimè trita, cumque generoſo vino ad doſim ʒ i. ebibita, præſens quoque remedium eſt.

LINIMENTVM.

℞. Euforbii ʒ i. maſticis ʒ ii, ſpicæ nardi ʒ S. hæc ſimul tere, & ad vſum ſerua, ex his etenim cum vino maluatico aut alio generoſo vnctiones hunc affectum ſummè leuant. Vel vtere floribus ſambuci recentibus, quæ in oleum commune quod ad ſolem diu aſſeruatum ſit immitantur, ex quo ungantur partes dolentes.

EMPLASTRVM.

℞. ſtercorum bouis, columbæ, capræ, talpæ, galli gallinacei, & calcis viuæ æquales partes. Omnibus exſiccatis, & in puluerem redactis, cum ſucco Cucumeris aſinini, & olei, vel adipis fiat emplaſtrum calidè admotum.

CLISTER AD COLICAM.

Sumantur xii aut plura allia ſicca, eaq; bulliant in aqua vſque ad medietatem, deinde fiat comunis cliſter, in quod olei oliuarum loco oleum lini imponatur, & cum eo prædicta decoctio.

Expertus ſum aliquando, & aliquantulum olei amigdalarum

ctalarũ dulciũ ore ſumptũ multùm huic affectui leuaminis pręſtitiſſe. At è cranio maſculino (quòd è commiſſura tranſuerſali dignoſcitur) fit & aliud ad hunc morbum potentius forte remedium. Huius ſed limati primò, deinde ſubtiliſſimè triti ſume partem vnam, ac nucis moſcatæ duas, miſce, & ex eo puluere quantum aureo vno capi poſſit, in vinum impone, ac ægroto ebibendum trade.

Plerique abſque cranio ſola nuce moſcata oblonga quæ ardeat, & in vinum album extinguatur, ebibito eiuſmodi vino fæliciſſimo ſucceſſu conualeſcunt.

CANCER.

Cancri curationem internam, difficilem omninò, ac periculoſam phyſicis peritioribus relinquo, ni medicamẽto fortè noſtro diaphoretico, aut auro pręparato noſtrę deſcriptionis, aut alio præcellenti medicamento uti luberet: quo præcedẽte exiſtimarim externa quæ deinceps præſcribentur remedia non parum huic leuaminis afferre poſſe.

LINIMENTVM.

℞ mellis roſati depurati ℥iii quæ bulliant cum radice Chelidoniæ: cola poſtmodum, & in colatura adde ſucci herbæ Zitoniæ quæ intra frumenta naſcitur ℥ii, olei roſati, & Albetij ana parum, facque ex his linimentum, particulis telæ in die bis applicandum, quæ parti affectæ ſuperponantur.

Vel ſume mel crudum depuratum, hocque miſce cum puluere radicis Chelidoniæ, & foliis palmæ tritis, ex quibus fiat linimentum vti ſupra.

Cæterum

Cæterùm vide olea, & aquas in deſcriptione noſtra medicamentorum generaliū huic morbo conuenientes.

VNGVENTVM PRO CANCRO.

℞ ſeminis lini, atramenti combúſti, corticis pomorum granatorum combuſti, virgæ paſtoris ana æquales partes. Tere atq; his mel crudum adde, vt paſta fiat, quam in duas partes diuide, vni quidem æris ſubrubei, ac litargirii puluerē ſi morbus ſit inueteratus, ſat copioſè adhibendo, alteri non, Inde lauetur debitè locus affectus, ſed prȩſertim internè, ac ubi exſiccatus fuerit, ſuperponatur ei vnguentum illud, cui præfati litargirii & cupri pulueres immixti ſunt, alterum verò quod ad partem ſeruaſti tum adhibe, cum vulnus aliquo modo mortificatū apparebit.

Hunc affectum multùm itém iuuari iamdudum etiam docuit experientia ſuperpoſitione pulueris è cortice pomorum granatorum, ſed acidiſſimorum: quæ putridam carnem amouendi haud exiguam vim habent.

CARNOSITAS.

Sume candelam exiguam ceræ albæ nouæ cum Therebentiná Venetâ confectam, quatuor ſaltem filis ſiue elixiniis conſtantem, longam quantum par eſt, iſthocque ſequenti vnguento linitam.

VNGVENTVM AD CARNOSITATEM.

℞. Minii, mellis albi, butyri vaccæ, vini albi ana ℥ ii. Miſce, & decoque ſecundum artem, aſſidueque moue cum pennis columbarū iuuenum ſuo ſanguine aſperſis, nouas tandiu adhibendo, atque frequenter aſſumendo, donec

præfatum vnguentum planè coctum ſit, ex quo aliquid in prædictæ candelæ extremitate appone: quæ ſecundum artem, & adeo profundè in penum immittatur vt partem affectam penetret, ac tandem pertranſeat.

CAPITIS DOLOR.

Etſi huiûs affectûs tanquam corporis humani primarii ſeriò & inquiri, & examinari cauſæ debent, & iuxta eas ordinaria phyſicorum via in hoc procedi, tamen vti ab initio ſum pollicitus, aliqua hic præſcribam, quæ non niſi ſummè vtilia, & huic apprimè conducent.

Pillulæ pro capite.

℞. Scamoneæ puræ, & electæ g. vi, vii vel viii, plus vel minus iuxta vires, & naturam ęgri, pulueris de colloquintide, ſiue trochiſcorum Alãdal g. totidem, aloes ſuccotrini ℈i. Miſce cum ſirupo de ſtœcade, formaq; pillulã vnam, vel alteram, quam capiat æger ieiunus quatuor ante cibum horis.

Hæc purgatio poteſt tutè, & abſque periculi vllius metu ſingulo menſe iterari ab iis qui frequentem hunc affectum pati conſueuerunt.

PVLVIS PRO CONFORTATIONE CAPITIS.

℞. Ireos partes quatuor, zenziberis, cariofilorum tritorũ partem vnam, nucis moſcatæ dimidiam, omnibus ſubtiliter tritis, & mixtis applicetur puluis nocturno pileo.

LIXIVIVM PRO CAPITE.

Sume

Sume vini, & aquæ ana æquales partes, in quibus bulliant ſaluia, betonica, cortices limonum &c. quibus adde cineres mundos panno inuolutos, & alligatos, cola, & de colatura laua caput.

Aqua diſtillata pro confortatione Capitis.

℞. Saluiæ ℥ xii. florum lauandulæ ℥ vi, roris marini, Mai oranæ an pug. iii, nucis moſcatę, Zenziberis, granorũ paradiſi, cynamomi, macis, zedoariæ, galangæ, cariofilorum, cubebarum cardamomi, ana ʒ v, roſarum rubearum, herbæ baſiliconis, foliorum lauri, ſtœcadis Arabici ana ʒ iii, foliorum betonicæ recentis ℥ v. vini odoriferi lib. xiiii. Diſtilentur ſecundum artem in alembico vitreato donec phlegma vini aſcendat. quâ aquâ interdũ vtere ad doſim coclearis unius. At nota efficaciorem fore diſtillationẽ, ſi prędicta aliquantiſper in infuſione vini maneant.

Inſignis alter in curatione doloris capitis procedendi modus.

TABELLÆ.

℞. Specierum aromatici roſati. ʒ iiii. trium ſantalorum ʒii, ſacchari albiſſimi. ʒ x. cum aquis bugloſſæ, & roſarum fiat confectio in rotulis, quæ fiant tres pro ſingula ʒ. è quibus vna ante prandium, altera veró ante cænam ab ægroto ſumatur.

LIXIVIVM PRO CAPITE.

Lauet poſtea is caput, cum leni lixiuio in quo ſequens puluis admixtus ſit. ℞ violarum manip. i, florum ſticados manipul. 1. S. roſarum manip. 1 S. biſque in ſeptimanâ

Lunæ ſcilicet ac Iouis diebus illud repetat.

SVFFVMIGIVM CONFORTANS Caput.

Sume vas terreum, in quod candentibus refertum carbonibus ℥ i, turis & xv. aut circiter roriſmarini cimæ virides iniiciantur, quorum fumum panno lineo capite inuolutus recipe. Inde ſume lanam cum binis olerum foliis ad eiusmodi fumum multum calefactis; quã veſperi in decubitu calidiſſimè capiti admoue: inde prædictam lanam ſub nocturno pileo.

Vnguentum ad dolorem capitis.

℞. Succorum nepitellæ, calamenti, ſerpentariæ, vrticæ, ac piretri ſubtiliſſimè triti ana æquales partes, ex quibus cum ſebo hyrcino oleo communi & cerâ fiat vnguentum temporibus admouendum. Sed aduerte futurum melius, ſi internis primò purgationibus vtaris.

Capitis dolorem extractione modici ſucci caulium per narium commeatus & ſummè iuuari iamdudum quoque didici.

Item ad capitis vertiginis præcautionem tutiſſimum eſſe remediũ ſi comedantur ab infirmo quatuor aut quinque extremitates ebuli in aceto per mediam horam infuſi, quod eo efficacius futurum eſt, ſi bis terue ea ſumptio repetatur.

CATARRHVS.

Habes in remediis generalibus noſtris diuerſa ad frequentem hunc affectum deſcripta remedia, præter quæ nihil

hilominus & ſequentia inſerere hic volui, ne auxiliis deſtitutum te vllo modo conqueraris.

Sume, cum catharrus vrgebit, pomum ad ignem coctum, ac illud miſce cum butyro, & melle roſato in modum electuarii, de quo ℥ i. matutino tempore, ac ſimiliter veſperi cape.

Vel ℞. axungiæ gallinæ, axungiæ porci, & axungiæ item anſeris, medullæ bouis, butiri & olei roſati ana ad libitum, omnibus ſimul mixtis, ac diſſolutis cũ cerà gumma arabica, & dragante fiat vnguentum quo vtatur ægrotus. Sed aduerte pectus primò cum decoctione biſmaluarum debere fomentari, in tantum vt ſudes, quo peracto vtere præfato vnguento calidè ad pectus, & illi lintea ſuperpone.

In Catharro pillulæ pręcedenti capite deſcriptæ ſummè conducunt: ſed præter eas & ſequentes peculiares, multumque iuuabunt.

Pillulæ ad Catarrhum.

℞. pillul. cocciarum ℈ i pillularum fumiterræ, Agarici trochiſcati ana ℥ S. diagridii g. vi. fiant vi, pillulæ cũ melle roſato, ex quibus vna, aut altera plus minuſuè pro qualitate circumſtantiarum ſumatur.

CRVRVM DOLOR ET AFFECTVS.

Sume alumen quod vocant plumæ: tere, & cum aceto forti albo in mortario piſtello ligneo miſce, & incorpora. ſtet per noctẽ eiuſmodi commixtio, cui poſtmodum par-

ticulam aliquam lini ſubtilis immerſam appone, hancque cruri affecto: atque tandem huic laminam plumbi ſubtilem fortiter conſtrictam. Ad huncque modum per dies quindecim mane, & veſperi perge. Hinc abſumptâ per id tempus putridâ carne, vtere & alio vnguento infra ſcripto. ℞ therebentinæ ℥ i. mellis depurati ℥ i, thuris, aloes, maſticis, mirrhæ ana ʒ i. ex quibus fiat vnguentum ſecundum artem, quod vtique prętioſum eſt. Sed aduerte antequam hoc adhibeatur, neceſsariam eſſe farinæ hordei ad vulnus appoſitionem; accedenteque dolore ſpodii pulueris immiſſionem.

Lauacrum pro cruribus

℞. fol. ſambuci, folior. plantaginis, fol. aut radicis Apii, Saluiæ ana manip. S. Bulliant in vino vſque ad debitam decoctionem, ex quá fiat lauacrum.

Emplaſtrum ad crura.

℞. olei roſati ℥ iiii. ceruſæ ℥ iii. ceræ albæ ℥ iiii, minii ℥ i, fac ex his vnguentum poſtquam bullierint ad lentum ignem.

Vel ℞. lytargirii auri, ceruſæ, ceræ, ſæbi hyrcini, thuris ana ℥ iiii, viridis æris ʒ i, ſanguinis draconis ℥ i, diallecccæ, olei roſarũ, therebentinæ, olei laurini, butyri recentis ana ℥ iii, pinguedinis antiquæ porci maſculi. Omnia bulliãt ad lentum ignem, è quibus fiant emplaſtra. Vide alia vnguenta, & olea in eorum deſcriptione.

CALLI PEDVM.

Calli pedum hoc remedio curantur. Sume ceram quæ

remanet

remanet in apum vacuitatibus, dum mel confecere, ex quâ fac emplaſtrum callo applicatum ſæpe lotis pedibus.

DYSENTERIA.

Dyſenteria ſimplex abſque ſanguinis emiſſione poteſt hiſce remediis curari.

Sumatur vrina porci, quę miſceatur cum cinere: de quo fiant rotulæ, quæ poſtmodum cum ſucco plantaginis diſtemperentur, & vmbilico ſuperponantur.

Aut ſumatur origanum vnà cum floribus ad vmbrā exſiccatum, quod cum farinâ frumenti, purâ & mundâ, cumque aqua puteali quantū ſufficit diſſoluta incorporetur, ſeu impaſtetur, vt ita loquar, ex quâ paſtâ trinâ fruſta decocta in patinâ cum oleo communi conficiantur, à patiente ſingulo die comedenda, donec recuperata ſit ſanitas.

Emplaſtrum ad alui reſtrictionem.

℞. Ceræ, laudani ana ℥ i, boli armeni ℥ i, maſticis, dragantis, gummi Arabici, ſanguinis draconis, olibani ana ʒ ii. cariofilorum tritorum ʒ i, olei maſticis pariter. Miſce, & applica cerotum ventri.

Cliſter ad reſtringendum aluum.

℞ olei roſati, mellis roſati, ſębi hirci, cerę nouę ana ℥ iii. liquefiant omnia ad ignem, ex quibus calidè fiat cliſter.

Duo præcellentia arcana ad alui reſtrictionem.

1. Puluis ex ligno viſci quercini menſe Auguſto collecto Sole in ſigno Leonis exiſtente, exſiccatus, & ad vſum aſſeruatus ad doſim ʒ i, aut ʒ S. cum vino ebibitus tutiſſimum ad hunc affectum remedium eſt.

Puluis

Puluis item herbæ quinquefolii cum puluere nucis moſcatæ commixtus c um ouis frixis in patinâ, poſteaque laminæ chalibeæ ſuperpoſitis ſimplici dyſenteriæ prę-ſentiſſimè, ac tutè prçſtolatur.

Dyſenteria verò quæ fit cum ſanguinis emiſſione his remediis vtique iuuatur.

℞. herbam quæ vocatur burſa paſtoris tritam, & in aquam frigidam appoſitam iſthincque loco affecto vnde ſanguis exit, vel etiam capitis pollicibus applicatam.

Sputum ſanguinis ſedatur ſucco centinodiæ ebibito.

Singulare ad omnem fluxum ſanguinis remedium eſt, vt capiatur ranarum ſemen, nimirum viriditas illa quæ in aquarum mortuarũ ſuperficie excreſcit. Atque in eo pannus lineus ter ad minimum immergatur, qui poſtmodũ ad vmbram exſiccetur, id que pariter ter fiat. Quo ſic pręparato linteo, exſiccato, & aſſeruato vtere dum neceſſitas vrgebit: id eſt parti è qua ſanguis emanat duplo maius ſuperpone. Hoc tibi pro ſummo arcano ſit.

Atq; in qualibet dyſenteria, ſeu ſimplici, ſiue mixtâ frequenter oleo vitrioli in vino rubeo generoſo vtere.

DENTIVM DOLOR.

Tot ferè remedia huius affectus quot ęgri à vulgo prædicantur, etiamſi pauca proſint: Putarem nihilominus ſequentia prodeſſe, præſertim ſi repurgatum corpus, & eâ huic quæ in curatione affectuum capitis deſcripta remedia ſunt adhibeantur. Sume ergo ex ſequentibus quale libuerit.

℞. Conſeruæ anthos ſiccæ cum modico olei vitrioli,

aut

aut ſulphuris, & denti ſuperpone.

℞. aliquid theriacæ Venetæ, & ſimiliter fac.

℞. aliquid ſpiritus cariofilorum, & impone dentibus.

℞. aquam in quâ bullierit cornu cerui, & in ore aliquantiſper tene.

℞. Saluiæ, rutæ, piretri, iſopi, elebori nigri, radicis titimali aſinini, radicis ciclami, particularum origani quãtum lubet, in aquam impoſitum, ex quà fiat gargariſmus, cumque ſumma vrgebit neceſſitas, miſceantur hæc cum oleo communi, quod immittatur in auriculã ab eà parte qua dolor premit.

℞. acetũ calidũ in quo bullierit mel, & ſal, ac ore tene.

℞ ore aperto fumum ſeminis iuſquiami in ceram albam liquefactam immiſſi.

Quinta eſſentia quam vocant, ſeu oleum roriſmarini huic affectui multùm prodeſt. At huius defectu teneatur ore vinum calidum, in quo roſmarinus bullierit.

Fit & pillula, quæ pręſens hic eſſe cenſetur remedium ℞. Seminis Apii g. ii, opii, ſeminis iuſquiami ana g. iiii, cũ ſirupo de papauere aut vino fiat pillula, quæ ſat diu teneatur ore ab eâ parte, quâ dolor vrget.

Oleo vitrioli vnico complures ſanantur.

Dentes infantibus prouocantur, ſi ſæpius illorum gingiuæ cerebro leporino confricentur, cuius vſus capitis ĩtem tremori apprimè conducit.

Dentes dealbantur vel frictione olei ſulphuris, vel in hunc modum, Sume panem ex fariná ſegalæ ad cineres coctum vſque ad duritiem, quem in puluerem ſubtiliſſimum poſtea reduc, quo ſæpe dentes confricentur.

Eundem effectum præſtat ſuccus limonum cum co-

rallo trito in pañum impoſitus, quo confricentur dentes.

Quidam dentium dolorem ſanare dicuntur contactu verbi alicuius, & dentis poſtea, iniunctâ dominicali oratione terdicendâ. Sed hic vſus haud videtur eſſe naturalis, at ſuperſtitioſus, proinde de eo non plura.

DOLORES MEMBRORVM.

Dolor abſcindendi alicuius membri vt euitetur.

Negotium illud abſoluitur, ſi ſucco cicutæ partem reſecandam inungas, aut ſi ex alio quouis accidente intolerabiles dolores metuens, triduo ante herbam momordicam ieiunus ſumas.

Dolor omnis in quouis membro vnico hocce remedio aut tollitur, aut ſummè lenitur.

Sumantur ranæ domeſticæ virides ad libitum, & in oleum commune feruens viuæ imponantur, atque coquantur dũ carnes oſſa relinquant, exprimatur inde ea decoctio, é quâ partes dolentes & calidè, & validè inungãtur vt penetret, hiſque calida lintea ſuperponantur: ita breui abſcedet dolor.

Dolores verò ex concuſſione prouenientes illicò ſedat linimentum quod fit ex oleo communi, & ceruſâ ſimul mixtis, & ad lentum ignẽ concoctis, donec in ſpiſſitudinem vnguenti tranſeant. Sed ad lib. i, olei adhibe ceruſæ ℥ v. Vide & alia vnguenta ad dolores præſentiſſima ſuo loco in hoc opere.

EPILE-

EPILEPSIA SIVE MORbus comitialis, caducus.

Aquam hunc morbum apprimè iuuantem expertiſſimi nonnulli conficiunt, quæ repurgato primùm corpore ad doſim ℥ i, ab ægro tepida quouis die ſumi debet, poſtquam matutino tempore is veſtitus, & aluo ſi fieri poteſt exoneratus. Ea ſic fit.

Aqua pro Epileptico.

℞. Aquarum maioranæ, rutæ, & pæoniæ ana partes æquales. Miſceantur, & in ampullam vitream ritè occluſã ad ſuperiorem vſum aſſeruentur.

Puluis pro Epileptico.

℞. ranam quam per ſuperiorem partem abſcinde, ex eaque pulmonem extrahe, qui in vaſe nouo ſtrictè occluſo comburatur, ex quo fiat puluis ægro dum paroxiſmus vrget, ad doſim ʒ i, exhibendus, quo & in interuallis morbi pariter vtatur.

Fel canis nigri prope horam enecati, paroxiſmi tẽpore à patiente deglutitũ, morbũ hunc tollere pleriq; cenſent.

Alii ſani hominis prope horam interfecti, vt ex eo affectu conualeant ſanguinem, ſed meo iudicio nimis horridè, hauriunt.

Nonnulli verò annulo cuiuſuis metalli à parte digitum attingente verba quædam ſed intelligibilia in puncto nouilunii ſculpi curant, qui digito annulari ſiniſtræ manus patientis geſtari debeat. Sed quia & hoc non naturale, haud item plura.

Melius probantur, qui ex vngue poſtremi ſiniſtri pedis

animalis Elam curant annulum confici, quem ſummè huic morbo geſtatum præualere dudum nos experientia docuit.

Singulare ad Epilepſiam remedium, in formam electuarij.

℞ Sacchari ℥ vi, cranii humani ℥ i, pilorum canis albi ʒ i i, moſci g. i i i i, aquæ peoniæ quantum ſatis. Fiant rotulæ, è quibus ſumantur ʒ i i, ſingulo mane.

EMORROIDES.

Debes attendere in hoc affectu, an malum ſit internum, vel externum : apertum vel reſeratum, quia ſi externum & reſeratum, ſanguiſugarum in illas partes admotio apprimè conducit.

Sanguiſugas norunt Chirurgi applicare, atque ſæpius in iis applicandis frictiones, vel unctiones potiùs è ſanguine columbarum, aut etiam humano adhibent, ut celeriùs alligentur. Præter hoc remedium ſequentia linimēta apprimè conuenient.

LINIMENTA AD EMORROIDES.

℞ pulueris plumbi aduſti, & viridis æris partes æquales, miſce, & cum butiro lactis vaccini fac linimentum.

℞ olei amigdalarum amararum ℥ i S. bdelii ʒ i, galbani ℥ i, duos vitellos ouorum, ex quibus fiat pariter linimentum, interiùs & exteriùs applicandum. Hinc utatur æger puluere millefolii, cum aquâ tepidâ diſtemperati.

Aliis ſequens linimentum tanquam ſummum remedium probatur. Sumatur è porris adhuc tenellis, & recentibus,

bus, ſuperiori pelle denudatis, pars alba interna, eaq́; ad cineres coquatur, teraturq́; munda in mortario lapideo, atque eius inter binos orbes fortiter ſuccus exprimatur, nec non cum ℥ i pinguedinis recentis gallinæ, olei violarum, item ℥ i, ceræ ℥ S. commiſceatur, fiatq́; unguentum ſecundum artem, dum ad lentum ignem diſſoluta, & ritè incorporata omnia ſint. Quo unguento utere ad partes dolentes, hisq́ue pannum lineum ſuperpone.

Plerique oleo armeniaco, & oleo roriſmarini fęliciter utuntur.

Sumatur item pro linimento ad hunc Emorroidum affectum multùm conducente, cancrorum mundatorum, & ſuperiori cortice denudatorum lib. i, qui validè contundantur, deinde in ſuccum ſemperuiuæ infundantur, additis hiſce vermium terreſtrium contuſorum ℥ iii, omniaq́; plurimùm bulliant, ſed lento igne, quod ſupernatabit amouendo, aſſidueq́ue mouendo, dum in formam unguenti habeas, quod mirabile eſt, & præcellens.

ETHICVS.

Deſcriptus eſt in Aſmatis ſuperiùs appoſiti curatione ſirupus & linimenta, quæ & huic affectui ſanando ſummè conducunt. Ergò ferè pariter in hoc atque in altero procede, & præſertim lapide noſtro vegetabili, vel auro potabili, ſi in promptu ſit, ſolers utere.

EMICRANIA.

Procede item in huius affectus curatione, uti ferè in

doloris capitis, de quâ ſuperiùs, cumq; ob latentem cauſam remedia haud iuuabunt, ad Antimonium, Mercurium, Aurum, aliaque ſimilia noſtræ præparationis ut plurimùm recurre.

ERYSIPELAS.

Superponantur ad partem rubeam ſucceſſiuè fruſta aliquot panis albiſſimi aſſata, inque vinum rubicundum impoſita.

Hic affectus à pleriſque mulieribus aliquâ verborum prolatione frequenter ſanari conſueuit, ſed hoc & ſuperſtitioſum eſt, ideoque meliùs ad remedia naturalia recurrere.

FEBRIS TERTIANA.

℞ radicem rafani, quam tere cum farinâ ſegalæ, ex quâ fiat emplaſtrum infra umbilicum adhibendum, dum ægrotus per uniuerſum corpus doloribus afficiatur.

Vel ſume folia iuſquiami exſiccata, & contrita, quæ ter, plus minúsue ebibantur cum vino.

Vel, accipe quatuor ouorum vitellos, & miſce cum farina ſegalæ, ſucco berbennæ, radice urticis græcæ, & plantaginis, ex quibus fiat emplaſtrum, eo quo ſupra modo applicandum.

Aliqui per triduum ſucco ungulæ caballinæ ebibito utuntur, qui pariter ad quartanam valet.

Ait Raimondus, quinta eſſentia vini miſceatur cum modico rhabarbari, vel aloes ſuccotrini, aut aliorum phyſicorum medicamentorum, choleram rubeam purgantium,

gantium, cum bona quantitate ſcariolæ, de quâ manè & veſperi ſumatur, præcedente vomitu, & ſubſequentibus elixaturis,

FEBRIS QVARTANA.

Quàm ſit præſens ad febrem quartanam remedium Antimonium noſtræ præparationis, quod neutiquam per vomitum, ſed ſaltem per ſeceſſum lenem corpus expurgat, pluries ſum expertus: quo ſi propter virium imbecillitatem, aut quia hoc Antimonii, quantumuis excellenter præparati nomen iamdiu vulgo exoſum eſt, aliquò modo uti pertimeſcas, utere ante ea quæ hic apponam remedia ſequentibus pillulis.

Pillulæ ad Febrem quartanam.

℞ oppii, ſulfuris viui, mirrhæ, agarici, foliorum rutæ, caſſiæ fiſtulæ ana ʒ i. ex quibus uti decet tritis, cum ſucco abſinthii, inſtar fabæ unius confice pillulas, quarum ʒ i, antè febris acceſſum ægro exhibeatur, qui poſtmodum utatur ſequentibus.

Aliæ pillulæ ad quartanam.

℞ rutæ, mirrhæ, oppii, ana ʒ S. croci ʒ i i, caſſiæ fiſtulæ, ſulphuris viui ana ʒ i i, iuſquiami ʒ S, Fiant pillulæ cum ſucco abſinthii. Doſis eſt ʒ i.

POTIO AD QVARTANAM.

Aeſtiuo tempore ℞ manip. i, pimpinellæ, hyemali verò radicem eius, cum tantilla herba, quæ poterit haberi. Scindatur minutim, & cum aquâ communi bulliat in vaſe

ſe mundo uſque ad conſumptionem tertiæ partis, vel plus. Cola, & decolatura bibat æger tribus ſubſequentibus diebus ℥ v, vel vi, manè ieiunus, in modum ſirupi aliquantùm tepidi.

Vel ſumat decoctionis berbenæ, cum vino ebullitæ, eandem doſim ante paroxiſmum bis, vel ter. Si ea herba recens haud haberi poſſit, exſiccata huic remedio inſeruiat.

Semen iuſquiami tenuiter tritum, cumque vino generoſo ad ʒ i. doſim ebibitum, parem effectum habet.

Non deſunt qui carnes lupinas ægroto, abſque eius ſcitu, pro ſummo remedio comedendas exhibeant.

Succus arthemiſiæ per dies tres ebibitus ab ægro, quartanam ſanare à multis prædicatur.

Summum ad hanc remedium mihi vir apprimè doctus, & expertus aliquando aperuit. Incidatur vena Saluatella ſiniſtræ manus, in puncto nouilunii, ex quâ fiat miſſio ſanguinis ad i i i, aut i i i i. ℥.

Cibus ad febrem quartanam.

Impleatur cappo unus pollipodio, boragine, ſennâ, & cum aquâ pluuiali multùm decoquatur, addito tantillo Regalis pulegii, quo cibo, & non alio veſcatur ægrotus.

Vnctiones ad febrem quartanam.

℞ aquæ vitæ ℥ i, olei rutæ ℥ i, theriacæ ʒ vi, miſce hæc ſimul, ex quibus unge ſpinam dorſi per integram horam, ante paroxiſmum. Sudet poſtea ægrotus in lecto calidiſſimè decumbens.

Aliqui

Aliqui pro linimento ſiue unctione utuntur oleo oliuarum electo, in quo ruta viridis uſque ad perfectam decoctionem bullierit, addentes in colatura ℥ i, piperis triti.

Alii denique ſuccis rutæ, & marrubii cum butyro mixtis, quantum ſufficit, quos ut ſupra applicatos, eundem ſanandi effectum habere aſſeuerant.

FEBRIS CONTINVA.

SIRVPVS.

℞ foliorum bethonicæ, radicum thymi, petroſilij, filipendriæ, capilli Veneris, ſcolopendriæ, ſecundi corticis ſambuci, ana manip. i, agarici ʒ ii, epithimi ʒ i, mellis quantum ſufficit, ex quibus omnibus fiat ſirupus.

Pillulæ ad febrem continuam.

℞ rutæ, mirrhæ, opii, ana ʒ S. croci ʒ ii, caſſiæ fiſtulæ, ſulphuris viui ʒ ii, iuſquiami ʒ S. Fiant ex his pillulæ cum ſucco abſinthii, quarum doſis eſt ʒ i.

Emplaſtrum ad febrem continuam.

℞ foliorum olerum minutim ſciſſorum quantum lubet, quæ in aceto veteri cum oleo roſato decoque, donec inſpiſſentur: ex quibus fac emplaſtrum, ventriculo febricitantis applicandum, quod mirum in modum iuuabit.

Idem ex foliis morellæ confici poteſt, quod & eò magè proderit, ſi illius ſuccum cum modico pimpinellæ, & tantillo aquæ calidæ ebibas. Vel aliud quippiam ex porcellanis tritis (quæ plurimùm quoque iuuabunt) pectoris aut ventriculi regioni adhibeas.

Huic etiam ſummè conducit, ſi ſumatur triticum cū oleo roſato, aceto, & albumine ouorum mixtum, & ex eâ commixtione exceptis plantá pedum, palmâ manuum, & anteriori parte capitis integrum corpus illiniatur.

Vide plura in authoribus, de hoc affectu tractantibus.

FEBRIS ACVTA.

Hic affectus in capitis præſertim regione dominatur, ſummeque huic conuenit quintæ eſſentiæ noſtræ uſus, cum quintâ eſſentiâ Solis, gemmarum, & ſanguinis humani ſummè rectificatâ, è quibus tantillum ſumatur cum partibus æqualibus aquarum boraginis, lactucæ, roſarū, & violarum.

Similiter ferè quotidiana curatur, addito ſaltem præfatis eſſentiis, ebulo, ſambuco, turbit, aut alio quopiam, quod flegma expurget, idque bis in die.

Vſus euforbii huic affectui minimè aduerſus eſt.

PHRENESIS.

℞ unguenti populei ℥ iii, aceti albi ℥ v, rutæ domeſticæ contritæ manip. i. Miſce cum prædictis, & fac linimētum circa tempora: apponeque ad patientis nares, ſolutum ex aquis philoſophorum, addito camphoræ modico.

Valet & ad hunc affectum ſequens conſerua, cuius doſis eſt ʒ S. quotidie ſumenda.

℞ ſaxifragiæ menſe Martio collectæ, foliorum ſcilicet, & radicis lib. iiii, quæ diu contunde in mortario, contuſaque in ollam ſtagneam, quatuor in coperculo locis perforatam, immitte, unà cum ſanguinis hircini, ſucci petroſilii

troſilii ana lib. S, ac vino albo, ſubtili & aromatico, quãtum ſufficit, necnon ad Solis æſtum uſque ad horam diei ſextam, æſtiuo tempore per dies quatuor impone.

FISTVLÆ.

℞ farinæ frumenti puriſſimi, cum vitello oui, ſucco chelidoniæ, & melle mixtæ, ac diſſolutæ; è quâ fiat unguentum, quod validiſſimum eſt ad ſanandas fiſtulas.

Alia unguenta ad fiſtulas.

℞ terebentinæ lotæ ℥ i, mellis depurati item ℥ i, incenſi, aloes, maſticis, mirrhæ ana ʒ i, ex quibus fiat unguentum: quod antequam adhibeas, iniice priùs ad vulnus aliquid farinæ ordei, ac inde præfatum unguentum admoue. Quòd ſi urgeat dolor, puluere ſpodii ſupra immiſſo leniatur.

Fit & aliud unguentum in formam balſami, ad fiſtulas ſummè excellens, in hunc modum.

℞ ſulphuris ſubtiliter triti, quod inſtar paſtæ miſceatur cum oleo oliuarum. Diſtillentur in alembico vitreo, diſtillatumque cum æquali quantitate aquarum plantaginis, & cardi ſancti paulum ebullitum miſceatur: ex quo liquore ungantur fiſtulæ; aqua vitæ, vel vino albo priùs lotæ.

GONORREA.

℞ ſacchari roſati ℥ i, S. ſpecierum triaſantali, ſeminum lactucæ, & porcellanæ ana ʒ v. Miſce, & cum ſirupo de endiuiâ fac electuarium; ex quo unam, vel alteram ʒ cum

aquarum abſinthii, endiuiæ, porcellanæ, & lactucæ ana ℥ S. ſingulo mane ieiunus capiat ęger. Sed aduerte, quod ſi non ex lue Venerea malum ſubortum ſit, meliùs futurum, ut per aliquot dies fluere permittas. Quod ſi pręter modum continuet affectus, tum utere præfato remedio, & appone unguentum tria farmacum ſi ulcus adſit.

GVTTVRIS CRASSITIES.

Sanatur haud difficulter. Nimirum ſi ſępè cum urinâ infantis maſculi recenti lineâ faſciâ in eandem madefactâ fomentetur. Sed aduerte, ut prędictam faſciam per integram noctem collo obuolutam patiatur ęger.

HYDROPISIS.

Medicamenta quę ex mineralibus conficiuntur, huic affectui cęteris pręualere, iamdudum ſum expertus. Quare ſi Mercurius noſter diaphoreticus ſit ad manus, uſum hic illius apprimè ſuaderem, potiſſimè ſi iecur integrum adhuc, ac in ſuâ ſubſtantiâ illęſum iudices. At ſicuti in curatione Podagrę ſirupi ibidem deſcripti, ſumptione pręparari & corpus etiam conſulerem: hic pro ut ibi, ter, aut amplius etiam repetendi.

Conſerua poſt medicamentum.

Poſtquam medicamentum diaphoreticum, aut aliud quidpiam minerale ſuperiore modo ſumpſerit ęgrotus, ſi ventriculus eo debilitetur, aut aliquo modo minuantur vires, eâdem quę in curatione podagræ conſerua, ad eandem doſim ſumatur, ac poſt eam ſumptionem ſequens unctio ventriculo, & partibus tumentibus admoueatur.

Vnctio

Vnctio ad Hydropiſim.

℞ naſturcii recentis, aut ſucci eius, ad lentum ignem cum butiro recenti per horas aliquot decocti, quantum lubet, donec in formam unguenti habeas. Vtere manè, & veſperi calidiſſimè, idque pluries. Atque hunc, & ſuperiorem ordinem repete.

Cibus pro Hydrope.

Cibi ſint boni ſucci, aſſati potiùs quàm elixi. Vinum tenue, album, in quo folia lauri, aut rubeum, in quo radix, & lignum fraxini triduò infuſa fuerint, omninò conducet.

Conſerua ſiue electuarium.

Quibus diebus non purgabitur æger, ex confectione ſeu electuario ſequenti iii, aut iiii, ʒ, ieiunus ſumat.

℞ ſantalorum ſingulorum ana ʒ ii, raſuræ eboris, ſpodii ana ʒ i, S, cubebarum ℥ S, quatuor ſeminum frig. ana ʒ i, ſeminis endiuiæ, portulacæ an. ℥ i, ſacchari lib. S, fiat ex ſupradictis benè tritis electuar. cum decoctione endiuiæ.

Cataplaſma in decubitu.

Sume herbam quæ vocatur morſus gallinæ. Calefiat in patinâ abſque aquâ, & ita calida lateri uni patientis in decubitu adhibeatur, ſic ut iſtiuſmodi herbæ fumus penetret: dumque is expergefactus fuerit, prædicta denuò herba ſed noua, ac uti ſuperiùs præparata, ad alterum latus cum linteaminibus conuenientibus admoueatur.

Epitema.

℞ aquæ roſar. lib. i, aquæ bugloſſæ, aquæ meliſſæ ana ℥ iii, trium ſantalorum, corallorum rubrorum, & alborum, roſarum an. ʒ i, ſpodii, corticum cedri, ana ʒ S, croci ʒ i, oſſis de corde cerui ℈ S, ex quibus fiat epitema, applicandum ad cor.

Decoctio.

℞ manip. i, urticæ, elixum cum lib. i, vel circiter ceruiſiæ, aut vini albi tenuis, uſque ad conſumptionem medietatis. Coletur hic liquor, quem manè ieiunus quatuor horis ante cibum ad doſim vi, aut viii, ℥ capiat æger.

Vel. ℞ ſucci vitis albæ, quæ uuas haud producat ad placitum, huncque cum melle mixtum, ægro bibendum trade: cui demùm ranæ ſilueſtres per medium ſciſſæ, ad regionem ventris applicentur, foliaque rafani in iuſculo carnium vrueſcinarum decocta, unà cum carnibus ipſis pro cibo exhibeantur.

Alia potio pro Hydrope.

℞ petroſilii, feniculi, capilli Veneris, ana æquales partes. Bulliant in decem vini partibus, uſque ad tertiæ conſumptionem. Cola vinum, & in colatura infunde theriacæ drachmam unam. Hanc decoctionem bibat patiens: alterniſque diebus ſumat dialleccæ ʒ ii, tribus horis ante cibi ſumptionem. Singulo verò die ſumatur ſemiuncia elixiuis noſtri infra deſcripti, cum duabus partibus aquæ floris ſambuci, & tribus aquæ feniculi, abſtinendo quantùm poterit à potu.

Tertia

Tertia potio ad Hydropem.

℞ ſcolopendriæ hepaticæ, tamariſci, capilli Veneris, radicis petroſilii, aſparagorum, feniculi, agrimoniæ, corticum caſſiæ, piſorum rubrorum, de ſecundo cortice fraxini, ana ℥ i. Bulliant hæc in ſufficienti quantitate aquæ, uſque ad tertiam: extrahe, & cola, ac de colaturâ ſciatum unum matutino tempore bibat æger, indeque ſi poteſt, dormiat. Pergat verò in huius ſumptione per dies ad minimùm tredecim. Quæ decoctio quia diù conſeruari non poteſt, eam pro doſibus tribus confeciſſe ſat erit.

Linimentum.

Sume foliorum, & baccharum hederæ manip. i, quæ utcumque terantur, ac in ſufficienti vini quantitate infundantur, & decoquantur ad conſumptionem medietatis, vel duarum tertiarum. Inde vinum illud multùm exprimatur: expreſſoque adde partem æqualem olei oliuarum, iterumq; ad ignem admoue, uſque ad vini conſumptionem. Serua ad uſum.

Iuſculum ordinarium.

℞ maioranæ ʒ ii, ſpicę nardi, croci ana ʒ i, paſſul. ℥ i, allii mundi ℥ ii. Decoquantur cum carne comedendâ, & ſumatur iuſculum.

Puluis in cibis.

℞ cinamomi, & calami aromatici, cyperi, aſſari, ana ʒ i, aniſi recentis ℥ i, ſacchari ℥ iii Miſce, & fiat puluis.

Succum radicis ireos ad doſim medię oui teſtę quotidie

die ſumptum, omnem Hydropiſim perfectè curare, hocq; ſingulare illius medicamentum eſſe, inſignis author Gordonius ait.

Methodus inſignis authoris in huius morbi curatione.

Exhibeantur à principio ebulorum contritorum ℥ ii, cum vino, vel iuſculo, illiusque medicamenti (quod ſatis validum eſt) ſumptio ter, quaterùe repetatur.

Inde elacterii Mathioli gr. xv, cum iiii, gr. trochiſcorum violarum bis, aut etiam ter, diebus intermediis ſumenda tradantur. Sed aduerte prefatum elacterium tempore eſtiuo debere ſumi ut ſuprà, nimirum cum trochiſco violarum ad prefatam doſim, hyeme verò cum gr. ii, cinamomi, ac totidem maſticis: quod item lienis affectui ſummè conducit. Huius deſcriptionem vide in Gordonio particula vi, folio 551. Vide item preſcriptam eius doſim, que huic recentioris alterius authoris repugnat: cum ibi ſit ʒ i, electuarii ſcilicet cucumeris ſilueſtris: hic verò gr. xv.

Denique ſupradictus author uſum vini ſuperiùs deſcripti, cum fraxino, unà cum unctionibus ex oleo camomilli, & emplaſtro ex maluis preſcribit.

HEPATIS INTEMPERIES.

Hepatis affectus pre nimio calore hoc ſirupo corrigi poteſt.

℞ betonice, cichorei, ceterachii, ana manipulos aliquot. Infundantur in aquæ roſarum lib. xv, fiatq; decoctio ſecundum artem aromatariam, uſque ad conſumptionem

onem medietatis. Cola, & quò ad poteris dictarum herbarum ſuccum exprime. iterumque cola, & in hac ſecundâ colaturâ adde aliquid moſci, & aloes epatici in particulas ſecti ℥ i S, ac Iulepi lib. iiii : ſeruato in vaſe vitreo liquore nocturno aeri expoſito, ut ne de die illud Sol attingat.

Summa Hepatis intemperies & ad meliorem ſtatum reducitur medicamento ſequente; quod tamen & iſthoc ſirupo debet præcedi.

Sirupus.

℞ ſirupi endiuiæ, ſirupi cichorei ana ℥ i, ſirupi de fumo terræ ℥ ii. Miſce cum ʒ ii, aquæ cic. Sumatur manè potio calidè in aurora.

Medicamentum.

℞ ſirupi roſati ſolutiui ℥ iii, ſirupi de fumo terræ ſolutiui ℥ ii, mannæ electæ ℥ i, S. Diſſoluantur in aquâ boraginis, & cicor : ſumaturque item potio in aurora.

Hepatis verò oppilatio plurimùm iuuatur, ſi folia rafanorum ſingulo die in iuſculo elixa comedantur. Præſertim verò ſi de carnibus hœdinis id fiat, ac iis ſolis, haudq; alio cibo veſcatur æger.

ICTERITIA.

℞ vini albi ſubtilis, aquæ endiuiæ ana lib. i, cuſcutæ, & praſſii recentium ana manip. i. Bulliant uſque ad conſumptam partem tertiam ; ſed cuſcuta ponatur ſub finem decoctionis. Cola, & de colatura dentur iii, aut iiii, ℥. cum

℥ i, ſirupi acetoſi ſimplicis, præcedente euacuatione, & phlebotomia in ſaluatella dextræ manus, quæ eſt inter digitum annularem, & auricularem.

LEPRA.

Ad lepram non eſſe præſtantius auro remedium pleriqué philoſophorum, medicorumque libri atteſtantur. Sume igitur quale ex præparationibus noſtris libuerit: aut ſi te in tantum laborare tædeat, utere ex conſilio inſignis cuiuſdam authoris vino ſæpius, in quod auri puriſſimi lamina candens, ultra ſexageſies immerſa fuerit. Cui equidem vino multò plus de tanti metalli energiâ eo pacto acquiri crediderim, quàm in decoctionibus, quas illius ſaltem admixtione ſimpliciores homines præſtare credunt.

Si mauis puluere Mercuriali noſtræ deſcriptionis uti, utrumque ſuadebo: quia & in parte ex auro conficitur, & Mercurius auri ſemen eſt, homogeneæque naturæ.

Aqua ad lepram ſummè præualens.

℞ limaturæ auri, argenti, plumbi, ferri, æris, & auricalibi ana quantum potes. Miſce, & in urinam pueri virginis ſani immitte per integram noctem, ſequente alterâ in vinum album, tertiâ in ſuccum feniculi, quartâ in lac mulieris, quintâ in vinum rubeum generoſum, ſextâ denique in albumen ouorum, quod ſexies dictorum pulue-rum quantitatem excedat, diſtillaque poſtremum liquorem lento igne à principio, gradatim aucto, cui amplum recipiens, ſecundum artem admoueatur.

Serua

Serua accuratè liquorem qui emanabit, cuius unctio non ad lepram modò, ſed & ad leuandas quaslibet vultûs maculas, ad tincam, ſcabiem, & iuuentutem conſeruandam ſummè præualet.

Vnguentum ad lepram.

℞ therebentinæ lotæ, olei laurini ana ℥ iiii, aceti ℥ S ceruſæ, litargirii, aloes epatici, ana ℥ S, albumiua ouorum ii. Miſce, & fac unguentum.

Puluis ad lepram.

Sume pelliculam illam, quâ dum naſcitur infans, inuolutus eſt. Ex eâ exſiccatâ, tritâ, & in puluerem redactâ, cum pauxillo moſci, tantillum ebibat æger.

Vel ſume viperam in vino ſuffocatam, quod pariter hauriat.

LVES VENEREA.

Quod ſummum ad luem Veneream Mercurius antidotum ſit, nemo eſt vel practicantium chirurgorum qui inficias eat. Quare ſi & noſter eâ quâ in curatione Podagræ & Hydropiſis ratione, hic exhibeatur, quin magnam hac in parte rem præſtiturus ſis, haud quaquam dubito.

Sed huius penuriâ, recurrant validiores ad uſum præcipitati communis, cuius doſis eſt v, vi, vii, vel viii, granorum in vino, iuſculis, aut conſeruis cordialibus.

Si medicamenta hæc mineralia minùs arrideant, ſume aliud ſequens ſat validum : attamen poſt aliquot apoſematum (qualia in præfatis morbis præſcripta ſunt) uſum.

Medicamentum ad luem Veneream.

℞ ſirupi de polipodio magiſtralis ℥ v, diaphinicon ʒ ii, cum decoctione cordiali factà cum ʒ ii radicum ellebori nigri, fiat potio.

Dum hæc medicamenta exhibebuntur, intermediis diebus prouocetur ſudor ex decoctione ligni Guaiaci, & ſarcæ parillæ, ſaſafias, aut radicis chinæ, cum octuplo aquæ communis ad medietatem reductæ. Cuius decoctionis lib. i doſis eſt, ſudore poſtmodum prouocato.

Atque ſuperius medicamentum quaternis, vel quinis diebus repetatur: cibis omnibus humidis, ventoſis, viſcoſis, & mali ſucci vitatis, donec conualeat æger.

Vinum ad morbum Venereum.

Purgato ut ſuperius corpore, ebibat ægrotus infra ſcriptum vinum in paſtu pro potu, dumque medicamentum non capiet matutino tempore, ſciatum illius unum ieiunus hauriat.

℞ corticis ligni Guaiaci multùm triti, lib. ii, vini albi maluatici, aut alterius generoſi, amphoras circiter xviii, aut lib. xxxvi, ſticados, calami aromatici, polipodii, cardi ſancti, capilli Veneris, yuę artriticę, hermodactilorum ana ʒ ii, colloquintidis præparatæ, apii ana ʒ i. Infundantur hæc in ſuperius vinum tepidè per horas viginti quatuor, poſteaque bulliant in vaſe terreo vitreato ſtrictè coperto, ut non reſpiret, donec quarta pars conſumpta ſit. Cola, & ſerua ad uſum præfatum cum ſummâ à cibis omnibus ſalſis præcautione.

Pillulæ ad luem Veneream.

℞ aloes

℞ aloes loti, aſſæ fœtidę, ſerapini ana ℥ S. theriacæ Venetæ ʒ i, S. diagridii ʒ i. Fiant pillulæ cum aqua de fumo terræ, è quibus ʒ i capiatur.

Gummarum reſolutio in lue Venerea.

Gummæ ex lue Venerea adhærentes, ſiue apertæ, ſeu reſeratæ ſint, vino ſupra deſcripto, atque illius fecibus fomentari debent.

Quod ſi ad earum reſolutionem haud illud ſufficiat, tum reſoluantur cum lixiuio facto ex maluis, camomilla, radicibus ebulorum, & cæteris eiuſmodi. Superpoſita iſthinc illis in formam cerotti pice reſinâ.

Alia reſolutio gummarum in lue Venerea.

℞ mucilaginis, alteæ ana ℥ iiii, olei maſticis ℥ i, maſticis triti electi ℥ ii. Superpoſito ad ignem oleo communi, huic mucillago trita immittatur: quâ in eo liquefactâ, addatur paulatim reliquum, donec inſpiſſetur, ex quo fiat cerotum applicatum iuncturis.

Vlcera peni in lue Venerea hiſce curantur remediis.

Iſtis vel ſuccus cucumeris applicetur, vel oleo antimonii noſtræ deſcriptionis ea liniantur, vel aquâ ſequenti (quæ ſummè pręualebit) abluantur.

℞ aquæ roſarum lib. S. Mercurii ſublimati triti ʒ i. Miſce, agita, & conſiſtentiâ factâ de aqua ablue locum.

Inflatio verò teſticulorum, & item curabitur ſi iſtis folia roriſmarini, & ſaluiæ quæ in vino albo optimo uſq; ad ſufficientiam bullierint, adhuc calentia bis in die ſu-

perponas. Quæ cum non niſi biduo conſeruari poſſint, aduerte crebra hic earum coctione opus eſſe.

Denique inflatio peni ex Gonorrea iuuatur & altero hoc remedio. Videlicet ſi ſæpè immergatur, idque per mediam horam in aquam quæ ſic fiat.

℞ aquæ roſatæ, aquę plantaginis, ſolatri hortenſis ana ℥ ii. Miſceantur ad uſum ſuperiorem, fiatque ſub penu linimentum eiuſmodi. ℞ unguenti Galeni, unguenti roſati ana ℥ i. Miſce per noctem in mortario plumbeo.

Duo arcana ad luem Veneream, eò præcellentiora cæteris, quod abſq; ullo nauſeæ, vel commorationis domeſticæ negotio eam tutiſſimè curent.

PRIMVM ℞ ligni guaiaci, ſalſæ parillæ ana ʒ iiii, corticum ligni guaiaci ʒ ii, foliorum ſennę orientalis ʒ v, turbit, hermodactilorum ana ʒ ii S. corticum ellebori nigri ʒ ii. Miſceantur, & fiat puluis ſubtilis in decem partes diuiſus: quarum unaquæque ab antecedenti die per horas viginti quatuor infundatur in ſeptem, aut octo uncias vini generoſi, quod ſingulo mane decem ſubſequentibus immediatè diebus ęgrotus ebibat.

ARCANVM ſecundum ęquè facile, ac tutum eſt eiuſmodi. ℞ Mercurii vulgi ℥ v, centaureæ minoris pugillos ij, aut ℥ i, aquæ communis lib. xv. Bulliant uſque ad conſumptionem lib. v, ex eaque decoctione ſumat ęger quouis die ℥ vii, vel viii, donec ſanus euadat.

At fiat eiuſmodi decoctio in vaſe coperto ad lentum ignem.

LIENIS

LIENIS OBSTRVCTIO.

In Schirro lienis venę baſilicę ſectio brachii ſiniſtri conducit, ſed à morbi principio: eaq́; ad iii, vel iiii ſaltem ℥: quia ſequeretur hydropiſis periculum.

Inter remedia ſuprema veſicatoria & cauterica adhibentur.

Summè probatur uſus ellebori nigri, ſi à causâ melancholicâ hic affectus procedat, modò pręcedat & uniuerſalis purgatio.

Quod ad interna peculiaria, probatur uſus pulueris aſinini à ʒ S. uſque ad ʒ ii, cum ℥ iiii, vel vi, vini albi tenuis, generoſi: exhibito ſingulis decem diebus ad melancoliam vel pituitam euacuandam medicamento.

Alternis verò diebus cliſteres ex albo veratro fiant. Pulueres è praſſio, & tamariſco, in vino chalybeato appoſiti ſummè conducent.

Pillulæ ad lienis affectum.

℞ ſeminis erucę ℥ S, piperis, ammoniaci, ſpicę, ſcolopendrię ana ʒ i, arida cribrentur, ammoniacum autem diſſoluatur in aceto ſquillitico. Fiant pillulę: quarum doſis eſt à ʒ S. uſque ad ʒ i.

Pillulę validiores. ℞ radicum capparorum, tamariſci pręparati ana ʒ vi, ammoniaci ʒ i, ſeminis ſecuridacę ʒ x, ſticados, abſinthii ana ʒ iii, ſcolopend. ʒ x. Fiant pillulę, quarum doſis eſt ab i, ad iiii, ℈ qui non excedantur.

Magnum ſecretum ad affectus lienis curationem.

℞ cha-

℞ chalybis lib. i, quę maceretur in aceto acerrimo unà cum radicibus alteę, & aſparagorum, & ad radios ſolares aliquantulum imponatur. aceto poſtea reiecto exſiccetur limatura, & in puluerem tenuiſſimum redigatur. Huius pulueris ita præparati ℞ lib. i, pulueris ſecuridacæ, ceterachii, tamariſci, radicum capparorum, ſerpilii, ſalis theriacalis ana ʒ ii, vini vel aceti lib. xii. Imponantur in vaſe vitreo ad radios Solares, vel in calidum locum, & frequenter in die commiſceantur, idq́ue per decem aut viginti dies. Cuius vini doſis eſt ab ℥ i, ad ℥ viii, pro materiâ & magnitudine ſchirri, auſpicandumq́ue eſt à minima doſi ad ſummam alternatim progrediendo. Bibat calidè dum adhuc in lecto decumbit ægrotus, maneatq́ue in eo, & inde per integram horam ad latus ſiniſtrum: poſt modum ambulans, ac ſeſe uſque ad ſudorem exercens; nec quicquam ante horas quinque comedat: ſicq́ue uſque ad totius vini ſumptionem procedat.

Accepi aliquando, bubonem viuum, elixum in oleo oliuarum recenti, donec in unguentum redigatur, duritiem ſplenis omninò ſanare, ſi eo aliquoties pars affecta liniatur.

Idem effectus lienis lupini pulueri tribuitur, ſi ore ſumatur.

Vnguentum ad lienis obſtructiones.

℞ gummæ dragantis, foliorum camomillæ, picis liquidæ, medullæ carnis vitulinæ, armoniaci, galbani ana partes æquales. Tere quæ ſunt terenda: armoniacum verò, & galbanum in aceto antiquo reſolue, & picem liquefac.

fac. Mixta omnia applicentur duritiei lienis.

Potes & abſinthio crudo cum ſale, & armoniaco trito, vel etiam infantis urinâ ſimiliter uti.

Potio ad lienis obſtructionem.

℞. ſalicis herbæ, radicis iuſquiami, abſinthii ad placitum. Coque in ſufficienti aquæ quantitate, dum tertia pars conſumpta ſit: ex quâ decoctione ſciatum unum in decubitu bibat ægrotus, ad latus ſiniſtrum inde decumbens.

Puluis ad lienem.

℞ ceterachii quod aliàs ſcolopendria, iſopi ana partes æquales. Tere, ac trita miſce. Cuius pulueris doſis eſt ʒ i, cum vino albo, vel iuſculo piſorum rubrorum, per dies viginti ſumenda.

Epithema ad lienem.

Infunde lanam, vel madefac potiùs in aceto albo: quo expreſſo, huic mel cum puluere naſturcii mixtum in formam unguenti adhibe, & dolori ſuperpone.

Vinum. ℞ vini albi ℥ xv, ceterachii manip. S, tamariſci ℥ S. radicis capparorum ʒ ii, ſticados ʒ i, cinamomi ℈ i. Infundantur conquaſſata per horas quadraginta in dictum vinum: ex quo ſumantur ℥ iiii, calidè ante cibum.

Clister. ℞ ℥ vi, urinæ ſani hominis, mellis roſati ℥ ii, cum ℥ iii, olei communis, & modico ſalis, fiat cliſter.

Confectio. Vſus confectionis Hamec, vinum chalybeatum, trochiſci cum vino, ſcamæ chalybeæ, corticum radicum cappararum, foliorum tamariſci ana ʒ ii,

& mirrhæ ʒ i tritæ & mixtæ, ſingulo mane ad doſim ʒ i, ſumptæ, & apta remedia erunt.

Cerotvm. ℞ ammoniaci, ſtoracis, thuris, bdelii ana ℥ S, galbani, ſalis armoniaci ana ʒ ii, ſeminis agni caſti, rutæ, baccarum hederæ ana ℥ S. picis reſinæ, ac ceræ quãtum ſatis. Diſſoluantur gummata in aceto, & fiat emplaſtrum ſuperpoſitum lieni. Vt fiat validius adde gummam elemi.

Vſus naſturcii cum oleo antiquo oliuarum, ad lentum ignem ebulliti, donec illud ferè conſumptum ſit, cui modicum ceræ apponatur, bis in die tanquam linimentum repetitus, & valebit.

Item folia fraxini aliquantum elixa, contuſa, & lieni ſuperpoſita.

Nec oberit huic ſanguiſugarum ad venas hæmorroidales admotio: quin omninò neceſſariam reor. Hiſce flores Antimonii plerique addunt, dum morbus ita ſit rebellis, ut ſuperioribus remediis haud cedat.

Denique & ſirupi ſummè præcellentis deſcriptionem addam, qui ſic fit. ℞ radicum quinque aperitiuarum, radicis eringii ana ʒ i S. aſparagi, fœniculi, graminis, petroſilii, quinquefolii, capilli Veneris, ſcolopendriæ, pollitrici, ſaluiæ, pimpinellæ, boraginis, bugloſſæ, cicorei, iſopi acetoſi, timi ana pugillum i, ſenæ orientalis ℥ iii, aniſi ʒ i. Decoquantur in lib. vi, aquæ communis, uſque ad conſumptionem ii, lib. & fiat apoſema non clarum, ſed conditum ʒ i, ſantali citrini, pro v doſibus.

MELANCOLIA.

Huius morbi curatio difficilima eſt, ac non ſine cauſã flagel-

flagellum medicorum paſſim nominatur. Crediderim ob tenacem elemento terreo, de quo multùm participat, humoris adhæſionem, cuius extractio uti in diſtillationibus omnium poſtrema, & difficilima eſt, ita & pariter iſtius humoris ab humano corpore. Peculiaria nihilominus ex multis ſelecta hic adſcribam, quæ ſi non leuando penitùs affectui, ſaltem ſummè leniendo præualere omninò putarim: cuiuſmodi ſunt.

Frictio urticæ, & geſtatio illius, cum quinquefolio.

Hyperichon aliàs perforata, quæ collecta die Veneris, & hora Iouis (quo tempore ad ſummam energiam fortè excreuit) inde geſtata, & collo appenſa, hunc affectum apprimè iuuat, & fantaſticos ſpiritus expellit.

Ait Albertus, pennam huppupæ combuſtam fumum excitare, & hunc malos ſpiritus, & animalia venenata è domo pellere.

Berbena ſeu verbena in iuſculis elixa, vel cum vino ebullita, miram tollendæ melancoliæ vim habere cenſetur, ſi ſæpiùs iis utatur æger.

Fumus iuniperi à pleriſque pro remedio prædicatur.

Multi in tollenda melancolia, laudant decoctum fumi terræ cum lupulis, & lacte caprino, ſeu ſero lactis uſq; ad tertiam, ſed æſtiuo tempore, aut vernali. Alii verò uſum ceterachii pariter decocti.

Balnea aquæ dulcis huic affectui apprimè conducere, ait Galenus, & omnes medici.

Chimici Antimonium ſuum prædicant.

Eleborus niger, ſummam & inueteratam melancoliam curare cenſetur, cuius deſcriptionem vide ſuo loco in parte ſequenti.

Aurum potabile, elixir vitæ, lapidem vegetabilem noſtræ deſcriptionis, quintam eſſentiam ſanguinis humani ſumma tibi, ac ut lectiſſima, quæ ad hunc affectum habere potes, remedia trado.

Sed & Melancholia ſummè quoque iuuatur uſu ordinario infuſionis ſennæ, aut in vinum, ſeu in aquas humori conuenientes, quæ peculiare illius antidotum eſt, cuius deſcriptionem vide & ſuo loco.

Vina boraginis, bugloſſæ, & roriſmarini huic morbo præcellentia ſunt, ſi matutino tempore inſtar ſirupi, vel in paſtu alterius loco ebibantur. Ea ſic præparantur.

Vinum boraginis. ℞ lib. i borag. & boni muſti lib. xii. bulliant ſimul vindemiæ tempore. Vtere dum clarum fuerit.

Vinum bugloſſæ. Sume radices bugloſſæ mundas, & lotas, quas pariter in vinum iniice, donec illarum vim hoc attraxerit.

Vinum roriſmarini eodem modo poteſt fieri, quo bugloſſæ, immediatè antecedens, at ſequens præparatio mihi mage probatur. ℞ roriſmarini quantùm haberi poteſt, unà cum floribus minutim ſecti: cuius unicuique libræ adde muſti boni lib. viiii. Bulliant ſimul per horam, dumque clarum fuerit, ad uſum aſſeruetur: quod utique ad peſtem, morbos frigidos, adque prouocandam cibi appetentiam ſummè conueniens eſt.

At quia ſæpius ex retorridâ bile, & flegmatibus melancolia prouenit, ideò formetur electuarium ſolutiuum eiuſmodi affectuum in hunc modum.

Electuarium ad Melancoliam.

℞ her-

℞ hermodactilorum, turbit ana ℥ i, diagridii gr. xv, galangæ, cariofilorum, maſticis ana g. viii, ſeminis milii Solis, aniſorum, & feniculi ana g. xv, ſacchari ℥ ii. Miſce, & fac electuarium in morſellis, ex quo ſumatur ℥ i, in aurorâ. Quod electuarium ſummè diſſolutiuum eſt in neruis, muſculis, & panniculis materiæ contentæ.

Sirupus ad melancoliam.

Eſt & aliud ſolutiuum non minùs ad hunc affectum præualens: ſed in modum ſirupi ab ægro matutino tempore ſumendum: quod ita præparatur.

℞ epithimi ℥ i S. aniſi ʒ ii. Coquantur, & bulliant in ℥ viii, ſeri caprini, uſque ad ſufficientiam. Cola, & colaturam ebibe.

Cæterùm crebra ſanguiſugarum ad venas emorroidales admotio, inter primaria tutiſſimaque huius affectus remedia, à primariis noſtri, & antiqui ſeculi viris connumeratur.

Viri perquàm celebris ordo in huius affectus curatione, quem ſingulo anno bis ſeruari melancolico aliquando præſcripſit.

℞ fol. fumar. ſcabioſæ, fumit. lupul. boraginis, ſcolop. ana manip. S. trium florum cordialium ana p. iii, epith. p. i, radic. cico. acet. polip. an. ℥ S. corticis radic. capp. tamar. ana ʒ iii, uuar. paſſ. ʒ v. ſem. aniſ. fen. ʒ ii, melon. ʒ i S. Coquantur in ſufficienti quantitate aquæ, uſque ad tertiam. Infunde his per noctem fol. ſenn. ʒ viii, rhab. electi ʒ ii, ſequin. ℈ S. mane factâ expreſſione col. ℥ viiii, quibus adde ſirup. de polip. ℥ ii, roſ. ſol. ℥ i, aquæ cinam.

℥ S. Miſceantur pro apoſemate laxatiuo. Doſis eſt iiii, ℥. Capiat alternis diebus.

Conſerua.

℞ conſ. borag. bugloſſ. viol. roſar. ana ℥ S, extracti mellis ʒ ii, ſpecier. lætific. Gal. conſ. Alker ʒ S, Cum ſir. de borag. fiat conditum Doſis eſt ʒ i.

Vide plura in multis paſſim authoribus, & unicuique ſimptomati huius affectus, quæ multa, & grauia ſunt, peculiare remedium adhibe: prout cordis palpitationi, ſincopi, ſomni carentiæ, hyppochondriorum tumefactioni, flatuum emiſſioni, ingenii, vel animæ potius perturbationi, &c.

MENSTRVI PROVOCATIO IN MVLIERIBVS.

℞. florum nucularum, ſecundi corticis caſſiæ, & rubei tinctorum ana quantum ſatis, tere ſubtiliter, huncq́; puluerem matutino tempore ante cibum tribus ad minimùm horis mulieri exhibe. Continuet ad tres, aut plures etiam ſumptiones.

Item, purgetur ante omnia mulier via phyſicali, inde veſperi decubitura, recipiat fumum è thure, & millefolio. Poſteaque particulam telæ in oleo lini madefactam, ad orificium vuluæ, per noctem apponat, præſcriptum hunc ordinem iteratis vicibus acuratè ſeruans: unctis oleo violato partibus, ſi fortè dolore premantur.

Eſt & alius prouocandi menſtrui modus quem hic inſeram.

℞ cen-

℞ centaureæ, caſſiæ ligneæ, hyppericonis, betonicæ, ſcolopendriæ, cuſcutæ ana ʒ ii, radicum apii, feniculi, & petroſilii an. man. i, matricariæ, arthemiſiæ, abſinthii, calamenti, & ſaginæ ana ʒ ii, endiuiæ, cicor. ana manip. ii, florum borag. linguæ bouinæ, lupulorum ana manip. i, ſeminum fœniculi ʒ ii, radicum capparorum ℥ S. ſeminis iuniperi, paſſularum grandium abſque granis manip. i S. Decoquantur hæc in ſufficienti quantitate aquæ uſq; ad conſumptionem tertiæ partis. Cola, & in colatura infunde rhabarbari electi, multùm triti ʒ vii, cum ʒ i ſquinantii plurimùm remoliti, quod poſtremum aroma circumuoluatur pannulo lineo alligatum, atque in alterum ſeorſim ʒ ii, agarici trochiſcati imponātur, hęcq; bina lintea in ſuperiorem decoctionem per noctem, & diem immittantur: quibus extractis, leniatur ea cum melle roſato, & ſaccharo, quantum ſufficit. Denique clarificetur, & aromatizetur cum ʒ ii, ſpecierum triaſandali, & ligni aloes crudi, ac ʒ i, cinamomi optimi. Doſis eſt ʒ iii, cum ℥ ii, ſequentis decoctionis. ℞ abſinthii, altaſſ. & cicor. ana manip. ii, fiat decoctio ſecundum artem aromatariam. Superioris huius decoctionis uſus & ad generationis vim ſummè valet.

Valet & ad menſtrui prouocationem elebori nigri uſus: cuius drſcriptionem vide impoſterum, & Bouium authorem Italicum, plura de hoc affectu diſſerentem.

Ad lactis verò prouocationem, quamquam varia remedia huius pleriſque mulieribus nota, valet tamen & hoc, ſumere nempè lactucas, easque in aquam ordei, ex quà ſæpè mulier bibat, decoquere. Vel ſumatur unguis pedis anterioris vaccæ; qui comburatur, huiusq; cinis cū vino ebibatur.

MEN-

MENSTRVI RESTRICTIO.

Menſtrua ſi copioſius in muliere fluant, ſume florum nucum, florum cucurbitarum, ac pulueris rubei tinctorum æquales partes, & cum aquâ cucurbitæ, & plantaginis mixtas, ſed primùm tritas, tribus horis ante cibum mulieri exhibe. Doſis eſt ʒ i.

MAMMARVM DOLORES ET AFFECTVS NOXII.

Ad mammarum duritiem ℞ farinæ fabarum, & farinæ ordei ana ℥ i, farinæ ſeminis lini, & fœnugræci ana ℥ i, olei roſati ℥ iii, croci ℈ i. Miſce, & fac unguentum.

Valet & ſuccus olerum cum cerâ, & oleo lentè ad ignem in formam unguenti coctus.

Item pomum mundum, cum tantillo olei camomillæ, & olei liliorum, ſed itidem coctum.

Mammas haud amplius excreſcere, ſi earum capita primo virginis menſtruo liniantur, ait illuſtris author.

MEMORIAM IVVANTIA.

Linimentum.

℞ radicum linguæ bouinæ, valerianæ, & rutæ ana ℥ iiii. Tere, & ad partem ſerua. Inde ℞ eufragiæ, galli criſtæ, berbenæ ana ℥ iiii, è quibus aliquantum contritis, per tenuem linteum ſuccum fortiter exprime, miſceque cum præfato puluere, addens medullæ anacardii, & caſtorei ℥ i, linguæ auis ℥ ii, multùm exſiccatas, & tritas, quæ ſuperiori compoſito item admiſceantur, omniaque in ol-

lam impoſita, cum axungiâ urſinâ, lentè ad ignem decoquantur, dum in formam unguenti ſubtilis & inſpiſſati deuenerint. Aſſerua in ſtagneo vaſe, ungeque tempora, regionem memoriæ, & capitis imum, at ſaltem per triduum, vel quatriduum, donec in aliud tempus reſumas. Aduerteque tempeſtate frigidâ, utputa autumni fine, fælicius quàm æſtate ſucceſſurum negotium, cum & præfatæ herbæ unà cum radicibus, ut ſint efficaciores, menſe Octobri colligi debeant.

Oleum ad memoriam.

℞ therebentinæ lib. i, gummæ hederę recentis ℥ iii, thuris maſculi ℥ ii, vernicis electæ ℥ ii, ſalis communis ℥ iiii. Diſtilla ſimul mixta lētâ diſtillatione in vaſe vitreato: ac emanans inde oleum in vas vitreum ſtrictè occluſum ſerua, capitis utique tempora, regionemque memoriæ iſthoc nonnunquam liniendo.

Aqua ad memoriam ſummè excellens.

Accipe mediam amphoram vini maluatici optimi, illudque in vas vitreum triplo grandius, unà cum ſequentibus aromatibus immitte, videlicet cinam. ℥ i, nucis moſcatæ ℥ iiii, ſtoracis liquidi ℥ ii, belzuini ℥ ii, zibetti g. xii, florum, & foliorum roriſmarini man. i, ſaluiæ, rutæ, maioranæ, citonellæ, pimpinellæ, betonicæ, florum urticæ, ana manip. i. Terenda tere, cæteraque conquaſſentur, ac mixta per dies tres igni digeſtionis ſecundum artem aſſeruentur, diſtillenturque donec ſpiritus vini omnis aſcenderit; inde abiice flegma quod remanet, diſtillatumque ad feces multum expreſſas reductum, denuò diſtilla: atq;

ignem adauge, quò & oleum unà cum ſpiritu habere poſſis. Quæ non ad memoriam modò ſummè iuuandam, verùm & iuuentutem, ac eximiam formam inducendam præcellentiſſima erunt, ſi interdum horum aliquo, præſertimque oleo tempora, vultusque liniantur. Aqua verò ad doſim cochlearis unius additâ, huic cariofilorum tritorum ℥ i, ſed ſaltem ſemel in ſeptimana ſumatur.

Puluis ad memoriam.

Valet & ad memoriæ iuuamen puluis, qui è radice, & ſeminibus pæoniç multùm exiccatis, cumque duplo ſacchari electi benè commixtis fit. Doſis eſt quantum auellana capere poteſt, in decubitu ſumpta, ac tantiſper ad linguam, donec liquefiat aſſeruata.

Sed in omnibus hiſce ad memoriam arcanis, vide ut cautè procedas, ac ne caput nimiùm calefacias.

MORSVS VENENOSVS.

Sanatur unguento confecto ex apibus multùm contritis, & parti affectę inſtar emplaſtri applicatis. Vide in remediis generalibus noſtris olea, unguenta, & aquas, quæ huic præterea conueniunt.

MORSVS RABIDI CANIS.

Sume cœpas, & tere cum ſale, ac permitte manere ubi canis rabidus momordit, donec ſis liberatus.

Quod ſi morſus fuerit ſimplex, id eſt è cane non rabido, ℞ urticam cum ſale tritam, & malo ſuperpone.

MORBVS MATRICVLARIS.

Fiat

Fiat emplaſtrum ſat amplum ex æqualibus partibus, aloes, mirrhę, galbani, & therebentinæ Venetę, quod umbilico ſuperponatur.

PESTIS.

Erimus in huius affectus remediorum deſcriptione paulò copioſiores. Siquidem & uniuerſalis remediorum neceſſitas id poſtulat, & ſępè contingit, ut in eo (quod Deus auertat) & remediis, & auxiliaribus deſtituatur homo.

Cumque bina remedia hic omninò requirantur, nempè quæ à morbo præſeruant, alteraque quę acquiſitum curant, ab illis æquâ ratione ordiemur.

Electuarium præſeruans à peſte.

Accipe nuces communes numero xx, ficus pingues exſiccatos num. xv, rutę, abſinthii, ſcabioſæ ana manip. i, ariſtologię longę, & rotundę ana ℥ i, therebent. dictami albi, pimpinellę, baccarum lauri, florum boraginis, corticum capparorum ana ʒ ii & S. galangę, cornu cerui, macis, mirrhę ʒ ii, boli armeni, terrę ſigillatę, ſalis communis ana ʒ ii. Miſce omnia cum lib. iii, mellis depurati: fiatque electuarium manè ſumendum, cuius doſis ʒ i, eſt, quá ſumptâ, aliquid aceti albi ebibatur.

Pomum odoriferum contra peſtem.

℞ lodani repurgati ℥ S. ligni aloes ʒ S. ſtoracis calamitæ electi ℥ iii, cariofilorum ʒ S. ſucci valerianę ʒ i, moſci & ambrę g. iiii, piſtentur terenda tenuiter. Gummę verò

apponantur in mortario cum reliquâ maſsâ, & piſtello calido aſſiduè incorporentur: quibus adde poſtea ſuccorum meliſſę & bugloſſę quantum ſatis, Forma pomum, & ad manum geſta.

Cibus tempore peſtis.

Cibi à putredine pręſeruantes, tempore peſtis omninò expediunt, qualia ſunt allia, cępę, ſaluia, betonica, roſmarinus, zenziber, piper, cinamomum, & cætera eiuſmodi calida.

Oleum contra peſtem & venena.

℞ olei oliuarum antiquiſſimi lib. iiii. Cum his in vaſe vitreo occluſo, centum & quinquaginta circiter ſcorpiones balneo maris bulliant, per horas quatuordecim: ita ut caueas ab odore. Factâ ebullitione, & vaſe frigefacto, coletur liquor; & validè exprimatur, atque in colatura infundatur ℥ i, rhabarb. electi, cum ℥ ii, theriacæ Venetæ, item ℥ i, mitrid. ℥ ii, trochiſc. de Tiro, & ʒ ii, adipis ſerpentis. Bulliat hoc compoſitum denuò per horas xiiii, eo modo quo ſuprà, denuoque frigidum coletur, & exprimatur: factaque expreſſione, addantur huic folia auri, & argenti, cum moſco, & zibetto contrita, ad placitum; tertioque & adhuc per horas ſex ſuperiore modo bulliat, & ad radios ſolares per dies xv, aut xx, in vaſe vitreo ſtrictè occluſo, exponatur. Hoc utere in formam unguenti ad pollices, clauiculas pedum, ſubter brachia, retrò aures, potiſſimeque ad cor, etiam dum morbus ingruit, & calidè decumbe in tantum ut ſudes.

Aliud

Aliud oleum contra peſtem mirabile.

℞ herbæ quæ ab Italis Sancti Chriſtophori vocatur, florem croceum, folium verò tenue, & mentæ ferè ſimile gerens. Bulliat lento igne cum tanto olei oliuarum optimi, quantum ad integrè coperiendam ſufficiet: dum tertia ſaltem liquoris pars remaneat. Amoue, cola, & exprime, atque quartam olei aſpidis partem, moſci item ac zibetti g. xii, expreſſioni adde, apponeque ad cineres vitis modicè calidos, cum admixtione gran. vi, balſami. Hoc oleo pollices, aures, genua, & clauiculæ pedum in decubitu calidè liniantur. Vnica verò unctio ad dies quadraginta ſufficiat; ac neque recentia per id tempus linteamina iterentur.

Aqua præſeruans à peſte.

℞ boli armeni, valerianæ zedoar, mirrhæ electæ, gentianæ, ariſtologiæ rotundæ, calami aromatici, camphoræ, dictami albi, Imperatoriæ ana partem unam, aloes epatici, & croci ana dimidiam partem. Reducantur ſucceſſiuè in puluerem, & in v, lib. aquæ vitæ ſummè rectificatæ per dies ſex adhibeantur. Miſceantur & huic liquori vini maluatici generoſi lib. v. Doſis eſt ℥ i, matutino tempore ſumenda.

Suffumigium tempore peſtis.

℞ picis hiſpanicæ, raſæ pini, thuris maſculi ana ℥ ii, mirrhæ ℥ iiii, ligni aloes ʒ S. Conquaſſentur, & in vas aptum ignitis refertum carbonibus conclauis medio, potiſſimè verò ubi ægroti adſtant, immittantur. Fiat manè,

& veſperi fumus. Hactenus de remediis præſeruantibus, nunc ad morbum curantia veniamus.

Primus modus curandi peſtem.

Statim atque hôc ſe quis morbo correptum aduertet, ʒ i, theriacæ Venetæ Andromachi deglutiat; ex eâque quantum caſtanea eſt, graſſanti malo ſuperponat. Inde accipiatur columba, ſed maſculus, adhuc calens, per medium diſſectus, cuius medietas una ſucceſſiuè huic, abſq; multâ morâ adhibeatur, hincque & alternatim altera; fiet, ut ob veneni attractionem utraque viridis, theriaca verò rubei coloris inde retrahatur. Iſthinc utere ſequenti emplaſtro.

Emplaſtrum ad peſtem.

℞ adipis porci abſque ſale, partem unam, herbæ quæ Latinis ſilentium, Italis graſſella, benè contritæ alteram. Miſceantur pro emplaſtro.

Puluis pro peſte correpto.

Accipe uniones, ſiue margaritas ex minoribus num. iiii, dictami albi abſque animulis ligneis, therebentinæ, raſæ ana æquales partes, miſce tenuiſſimè trita, & imbibe aquis abſinthii, & ſcabioſæ; atque euaporatâ aquâ exſicca puluerem ad umbram, denuoque imbibe, & exſicca ad quaternam vicem. Vtere in eum modum confecto ad ʒ i, cum aquâ abſinthii, ſaccharo, & melle; vel cum vrinâ ſani homlnis, idque ab initiô morbi, ac ſi forte euomas, ſequentem hunc, ſed validè purgantem. & in rotulis confectum ſume, qui ſic fiat.

Alius

Alius puluis cum aquâ ad peſtis curationem.

℞ dictami albi, Therebentinæ, corallorum alborum, & rubrorum, gentianæ, boli armeni, terræ ſigillatæ ana ℥ i, tere quodlibet per ſe, & ſerua.

Item ℞ aquarum endiuiæ, acetoſæ, roſarum, ſcabioſæ ana partes æquales aceto albo immixtas, ſerua ſeorſim, ac vbi neceſſitas vrgebit, illicò, & poſt horas ad ſummũ octo ſume de prædictis pulueribus quantum aureo, vel ducato uno capiatur: ſed de ſingulis, atque ex vnaquàque aquarum quas ad partem ſeruaſti, tantum illis immiſce, quantum media oui teſta item capiatur: Simulque commixta decumbenti ægroto ſumenda trade. Quò fiet vt egregiè is ſudet, atque per ſudoris meatus omni planè veneno euacuetur.

Hoc medicamentum à ſanis etiam tanquam ſummum à peſte præſeruatiuum, ſed ad mediam ſaltem doſim conuenientiſſimè ſumi poteſt.

Alter peſtem curandi modus.

℞ aquæ roſ aquæ endiu. aquæ acet. aquæ bugloſſæ ana ℥ i, pulu erum gentianæ, dictami albi, corallorum rubrorum, boli armeni ana ʒ i. Miſceantur hæc, & cum modico aceti fortis ebibantur. Inde, per horas ſex decumbat ægrotus, ac ſi forte prouocetur ſudor, exſiccato cum linteaminibus calidis, altero latere ad ſiccam lecti partem ſeſe diſponat, iuſculumque è pingui capone cui bini vel etiam tres ouorum vitelli admiſceantur, ſat copioſè ſorbeat.

Si premant vigiliæ, prouocetur ſomnus aliquo è remediis

mediis infra ſuo loco deſcriptis.

Oleum vitrioli cum ſpiritu vini ad guttas viii. ſumptum ad curationē peſtis, multùm præualet, ac noxios ſudores mirum in modum prouocat, & expellit. At eleborum nigrum ſi in formam extracti præparetur, & vnà cum theriacà ad doſim ʒ i, opportuno tempore ſumatur, ſuperioribus remediis haud cedere crediderim.

Febrem peſtilentialem ait Raimondus per ſpiritum vini mixtum cum quintâ eſſentiâ ſanguinis humani apprimè curari. Sed immiſceri ea debere aquis bugloſſ. vel acetoſæ cum aloe epatico, ierâ pigrâ, quintâ eſſentiâ auri, & gemmarum, radicibus liliorum, capillo Veneris, iſopo, in formam conſeruæ, bis vel ter in ſeptimanâ ſumendæ, ſuffimagiaque ex thure, mirrhâ, reſinâ, ligno aloe, therebentinâ, rutâ, ſtorace calamitâ, & ſimilibus excitanda.

PARALISIS.

Non deſunt inſignes authores, qui hunc morbum ex iiſdem cauſis, atque Arthritidem, ſeu Podagram deriuare cenſeant. Si ita eſt, author eſſem, iiſdem omnino remediis vterere, ac præſertim diaphoretico, & balneis: modò aliquantùm amplius vini, & roriſmarini in hæc adhibeas; ſi non ex ſolo, abſque aquâ fieri mauis.

Præter ea, & aurum potabile noſtræ deſcriptionis, ac elixir vitæ quæ inter prima ad hunc affectum remedia adſcribo, & tibi ſequens etiamnum aperiam.

Emplaſtrum ad paraliſim.

℞ ammoniaci, bdelij, ana ℥ ii, yuæ artriticæ, ſaluiæ, betonicæ, roriſmarini, nucis moſcatæ, thuris, maſticis, zedoariæ

doariæ ana ℈ S. Caſtorei tantundem. Terantur, & cum modico therebentinæ, ac picis græcę fiat emplaſtrũ, quod poſteriori parti colli applicetur.

PLEVRETIS.

Quamquam hic affectus lætalis, & periculoſus medici præſentiam potius quàm remediorum deſcriptionem requirat, qui tamen huius facultatem non habes ad hæc recurre.

Venæ ſectio in tempore, epithemata, cliſteres, ciborũ & vini præſertim abſtinentia tibi peculiaria remedia ſint.

Potio ad pleuretidem, quâ ſæpius illuſtris vir in Pedemontio fœliciter vſus eſt.

℞ tria aquæ communis vitra, cum olei oliuarum vnico. Bulliant vſque ad aquæ conſumptionem. Quod remanet ab ægro calidè ebibatur.

Alia potio.

Accipe folia papaueris rubri menſe maio collecti, quæ in pulluerem redigantur, qui ad ʒ i, aut plus cum aquâ buglosſæ ebibatur. Vel ſumatur ſuccus foliorum, & radicis maluarũ inter binos orbes expreſſus, & matutino tempore in ieiunio, pręcedente venæ ſectione ebibitus.

Epithema ad pleuretidem.

Fiant panis tria diſſecta; quorum vnicuique ab vnà ſaltem parte theriaca Veneta imponatur in modum vnguenti. Ex his vnum primò ad latus ægri per integram horam adhibeatur. Amoue poſtmodum, alterumque ſic præ-

paratum per id tēpus, atq; tertiū tandē eo pacto appone.

Pomum conueniens pleuretidi.

℞. pomum cottoneum omni ſemine mundatum, huiuſque loco thure, & moſco in vacuitate plenum. Hoc diu coctum ad cineres, ac tandem frigefactum comedat ægrotus.

Inſignis medicus in huius curatione ſumit aquæ feruentis ℥ iii melle commixtas; in easque ʒ I. vitrioli Romani abſque alterâ præparatione infundit, atque bibendas exibet, ita vt vomitū prouocent. Inde iuſculi gallinæ ſcutellam vnam; ac ſequenti die pomum cum thure decoctum tribus ante prandium horis, veſperi iuſculum cum pane, & tertio die pariter.

Alter verò externum ſequens remedium (quo ſe vltra trecentos fœliciter curaſſe aſſeuerauit) mihi propalauit.

Sumatur è caulibus antiquioribus pars illa craſſior, quæ à radice ſurſum excreſcit. Lauetur, exſiccetur, atque in puluerem reducatur. Hunc puluerem adhibe ſat copioſè in quatuor emplaſtra, melle commixta; è quibus bina, vnum videlicet parti affectæ, alterum verò diametraliter alteri ab oppoſito eodem tempore applicentur, aliaque ex interuallo ſimiliter: nouo melle, & puluere frequenter appoſitis, idque donec per copioſum ſputum omnem apoſtematis materiam ſeſqui horæ ad ſumū ſpatio ægrotus eiecerit. Sed & modicū è cariofilis tritis ſuperioribus emplaſtris addi debere omiſimus.

PARTVS FACILITATIO
cum vehementis doloris remotione.

℞ olei

℞ olei liliorum ℥ i, pinguedinis anſeris ℥ i, ſeminis peoniæ triti ℥ i S, galliæ moſcatæ ʒ i, moſci g. ii. Miſce in mortario, ex eâque mixturâ bombici, vel lanæ admotà tantillum matricis orificio mulier admoueat: vel etiam ſuperponatur illius vmbilico radix porri, cũ oleo coctus.

Partus verò hoc ſingulari remedio retinebitur ℞ olei mirti, maſticis, therebentinæ ana ʒ i, ſantalorum rubrorũ & citrinorum, hippokiſtidos, & accaciæ ʒ S. ſpodii, roſarum ana ʒ S, boli armeni, terræ ſigillatæ, raſuræ eboris ana ℈ ii, maſticis, mirrhæ, vernicis, ſanguinis draconis, ſtoracis liquidi, picis græcę, & mumiæ an. ʒ i, picis naualis quantûm ad ceroti confectionem ſufficit: quod applicetur renibus mulieris prægnantis, & pariter ad regionem matricis.

Valet & ad partus facilitationem ſumptio ſeminis raparum triti, cum vino, ad medium cocleare.

Sequens item emplaſtrum partum accelerat. ℞ ſtercoris vaccini in aceto decocti quantum ad emplaſtrum ſufficit. Quod & ipſum fœtum in vtero mortuum ſubitò educit.

Id & arthemiſia quoque, trita, & in vino albo decocta, illico, & abſque negotio (ſi panniculum in id madefactum vmbilico ſuperponas) præſtare dicitur, cuius item ſuccus ebibitus magnæ in hoc affectu energiæ eſt.

Satyrion herba in putrefactionem per dies aliquot admota, veluti in oleum fit: quo ſi ad doſim iii aut iiii, ℥ bis, aut ter vtatur mulier, conceptioni aptiſſima fiet.

PORRI PEDVM ET MANVVM.

Quidam celebris author de hoc affectu tractans ſic ait. Habuimus experimentum mirabile. Omni die fricētur porri cum cœpe ſcquilitico viridi, & fortiter, poſt ablutionem cum aquâ calidâ: remouet eos in breui, hoc modo. Accipiatur cortex medius ſquillæ, & confringatur per medium ex tranſuerſo, & ex loco unde exit humiditas, cōfricetur porrus, & in breui euaneſcet, modò prius aquâ ablueris. Appoſitio lactis titimalis frequens, idem & præſtare creditur.

RVPTVRA.

Rupturam pauciſſimis diebus ſanare dicitur cerebrum canis, eidem cum modico lanæ ſuperpoſitum.

Item patula cornu cerui alligata rupturæ.

Vel accipe vituli pedes cum pelle ſuperiori ſine pilis. Coque cum aquá abſque ſale: dum cocti fuerint, aquā remoue: & uice illius pone aquæ plantaginis quantûm ſatis: quæ ad locum frigidum congelletur Sumat de hac congellatione infirmus in prandio, & cæná.

SCIATICA.

Sciatica cum ex humore frigido generetur, remediis calidis omnino indiget.

Euacuatis per purgationes á corpore craſſioribus humoribus: haud alienus huic noſtri eſt elixiris vſus: qui quouis die ſumatur ad cocleare vnum, & parti dolenti (vt penetret) calidum admoueatur.

Hic morbus ſequēti vnctiōe etiamnū plurimū iuuabitur.

Vnctio ad ſciaticam.

℞ ex

℞ ex cornu cerui minutim conſciſſo quantum ſufficit, Hoc in vaſe vini pleno, vel circiter bulliat, donec integrũ vinum conſumatur. Inde cornu abiice, & medullam quæ rẽanebit manibus acriter tere; huicque adiunge olei baccarum lauri, & ſambuci ana ʒ iiii, maſticis, & thuris ʒ v. ſalis nitri, & euforbii ana ʒ ii, aloes ʒ i, ſarcacollæ, therebent. an. ʒ iii, mirrhæ, colophonii, aſſæ fætidæ ana ʒ i, ſucci rutæ, & ceræ quantum ſufficit ad vnguentum quod huic, & arthetico affectui prætioſum eſt.

Cliſter ad Sciaticam.

℞ malu. mercurial. camomill. aniſi, fæniculi, rad. boraginis, olei, ſalis, hyeræ pigræ quantûm ſatis. Bulliant in aquâ vſque ad conſumptionem medietatis. Ex his fiat cliſter ſæpe repetendus.

Oleum ſecundum deſcriptum in capitulo Podagræ ſiue Arthritidis primo hic aptè conueniet. Vide ibidem, & ſubſequenter quæ huic affectui conducunt.

SCROFVLÆ.

Emplaſtrum ad ſcrofulas reſeratas.

℞ maluæ, violarum, butyri, axungiæ porci quantũ ſufficit; ex quibus fiat emplaſtrum ad ſcrofulas, donec putreſcant; dumque apertæ fuerint, ſimili curentur modo, ſed filis telaceis eodem vnguento linitis ad vulnus, dum denuo reſeretur appoſitis.

Ad eiuſmodi ſimiliter conducit caligo craſſior, quæ caminis adheret, ad doſim ℥ i S. cum æquali parte argenti ſublimati commixta; cui addatur vnguentum. Raſis. Fiat emplaſtrum bis applicandum in die.

Potio ad ſcrofulas.

℞ mellis ad placitum, vini albi amphoras ii, ſcrofulariæ, pimpinellæ, rubeæ tinctorũ, ariſtologiæ rotundæ, rafani, polipodii, panis porcini ana ℥ ii. Conquaſſata bulliant ſimul in dicto melle, & vino. Cola, & de colaturâ bibat patiens ſingulo manè ſciatum vnum, aut alterum.

Vnguentum ad ſcrofulas apertas.

Accipe lacertas viuas numero 23 quas vnà cum oleo oliuarum communi impone in vas aliquod, dum in eo moriantur. Hoc adhibe ad ignem, tamdiuque in eo illæ bulliant, donec plane conſumptæ, & diſſolutæ ſint. Cola, & exprime, atque in colaturà, adde aliquid de ſtercore pecoris, factoque ex his emplaſtro, appone calidum; idque ſingulo die bis, quod oleo ſuperiore primò inungatur.

Modus curandi ſcrofulas iuxta inſignem practicum.

℞ Radicum Ireos quam Dioſcorides xyphion nominat lib. xv, ſi æger ſit adultus, ſin puer, ſufficient x, recentium quidem ſi haberi poſſint, aliàs exſiccatarum, quæ non adeo validæ, è quibus nempe recentibus x, vel xii, omni die adulti capiant, vnà cum parte illa tenuiori, quæ à radice ad medietatē palmæ vnius ſurſum excreſcit; alba quidem atque eiuſdem omnino ſaporis ac radix. Similiter & exiguæ radices illæ, quæ ad partem inferiori annexæ ſunt, ablatâ priori pelliculâ, prout fit in cœpis, ab ęgro. comedantur, & paulatim maſticentur, quò fumi facilius aſcendant ad caput, neque aliud prius quàm euacuatio

cæperit

cæperit quicquam manducetur. Quæ ſi primodie modica, ſumatur maior ex his ſubſequenter copia: ſin nimia, minor, ſi verò mediocris, hoc eſt ſi quinquies, aut ſexies infirmo moueatur aluus, per triginta ſeu quadraginta dies ſeruatà iſthac doſi perſeueret, ſi forte prius non conualeat. Nec intererit, ſi iſthoc fortaſſis tempore febricula ſuperueniat, eo quod humor hic frigidus in capite retentus eâ ratione magis exſiccandus ſit. Quamquã & eo caſu vnius, aut alterius etiam diei intermiſſio rectè ſubſequi poſſit, ſi modò vt à principio, & poſtea pergatur. Quò fiet, vt vel omninò curetur affectus, vel penitus reſoluatur, ac maturetur ita vt ferro, vel cauſtico aperiri poſſit, vnde materie ſumma putridà in tantum emanabit, vt reliqui circum adiacentes tumores facili negotio ſanandi ſint, haud vllà vllius ad hoc vnguenti admotione neceſſarià, ſi modò lintea his alba bene exſiccata omni die ſuperponantur. Sed aduerte vt humor hic peccans, craſſus, & frigidus ante omnia euacuetur, atque venam ex parte prementis morbi feces, ac, ſi infirmus annis quatuordecim maior, premẽte ab vtrâq; parte affectu, ab vtroq; item brachio phlebotomia mittatur. Quod ſi minor, abſque alia ſanguinis miſſione poſt ſirupos aliquot leneshuic exibitos antecedentem curam auſpicare.

Arcanum cuiuſdam alterius practici ad curandas Scrofulas.

℞ pulueris plantaginis maſculi, qui ſingulo die, donec conualeat infirmus cum recenti ouo ſorbeatur: ex eoque puluere cũ melle, aut alio liquore conuenienti, ad malũ aliquid apponatur.

Tertius

Tertius modus, ſed mirabilis curandi Scrofulas.

Hoc arcanum vir ſummè doctus mihi aperuit, qui ſe pluries expertum aſſeueraret. Cauſtico, vel alio quouis modo aperiantur ſcrofulæ, & apertis, ſolum mel, inſtar linimenti adhibeatur, vnde fiet, vt huius dulcedine allectus vermis quidam internus ſurſum prodeat, & paulum in vulnere appareat: qui ſummâ dexteritate, adaptato ad hoc inſtrumento ab homine perito inde extrahi debet; Sed aduerte præfatum mel emplaſtro appoſitum debere ad latera tutiâ vndequaque circumcingi, eâ ratione veró ſœpius inſpici: quia ſi quando eiuſmodi vermis appareat, & poſtea regrediatur, haud inde amplius extrahi poſſit. Miræ hunc longitudinis ſed inſtar fili tenuiſſimum ſæpius à ſe proſpectum, idem author teſtatus eſt.

Medicamentum craſſi humoris ex quo Scrofulæ generãtur euacuatiuum.

℞ oximel. ſimpl. ℥ iii, ſirupi de Betonicâ ℥ ii, agarici ſubtiliter triti ʒ ii. Sumant tribus vicibus hunc ſirupum iuniores; poſteaque elebori noſtri pręparati, & pillularum cocciarum ℈ i: adultis verò augeatur doſis ad duplum: inde, quæ é ſuperioribus arriſerint remedia eligantur.

SVRDITAS.

Ad ſurditatem forma ſequentes pillulas.

℞ aloes triti ʒ x, maſticis electi ℥ iiii, agarici electi ʒ, iii, ſalis gemmæ grana iiii. Incorporentur omnia ſimul, & cum

&cum melle roſato formentur pillulæ. Doſis eſt ʒ i vel ℈ ii.

Aliç pillulç, ℞ aloes ſuccotrini ℥ iiii, agarici electi, abſinthii ana ʒ iii, ſalis gemmç, ʒ ii, cariofil. nucis moſcatæ, cinamomi, macis, ligni aloes, thuris maſculi, zenziberis ana ʒ i, cubeb. ʒ ii, S, ſafrani, ʒ i, S, mirrhç electæ ʒ iiii, ſticados ʒ ii, ſpicæ, ſcquinantii ana ℈ i. Miſceantur, & fiant paruæ pillulæ cum optimo vino montano; è quibus v, vel vii, ſumantur, horâ vnâ, aut mediâ poſt cænam. Valent hæ & ad viſus imbecillitatem, ad dolorem capitis, & ventriculi: ſed in hoc, iis ante cænam vtendum.

Ad ſurditatem ſequens item remedium conuenit. Accipe vermes ſubterraneos, & oua formicarum, cum foliis rutæ. Terantur, & bulliant cum oleo amigdalarum, ex quibus impone ſœpius aliquid in aures bombice, vel lanâ obductas.

Oleum panis, ſeu liquor ille qui è pane recens cocto inter binas grandes patinas calidè appoſito, ad earum latera, ſed ſuperiori prçſertim adhçret in aures çgrotantis ſçpe immiſſus, magnum huic leuamen confert.

Succus abſinthii, fel agni caſti, pinguedo anguillæ appoſita in cæpe concauo, ad prunas decocto, in liquorē abeunt, qui expreſſus mirum in modum ſurditaticōducit, ſi huius vel guttula in aures immittatur.

Item ſume rafanum domeſticum. Laua, & aliquot locis perfora: foramina verò melle optimo cū modico ſalis reple, & dimitte per diem naturalem, deque illo melle in aurem pone.

Gummam hederæ cum aceto forti diſſolutam, & auribus appoſitam, magnum his iuuamen adferre plerique cenſent.

K Suf-

Suffumigium ad ſurditatem.

Fit & ſuffumigium quod inter hæc deſcripta remedia haud poſtremum locum tenet. Sume ex floribus camomillæ, mentaſtri, rutæ, abrotani quantum placet. Bulliant cum aquâ in vaſe nouo vſque ad conſumptionem medietatis. Ebulitione factâ fumum decoctionis adhuc calentis recipiat æger, mediante foramine in vaſis coperculo, cui cannula adaptata ſit, cuius extremitas altera aures pertingat. Qui fumus vt meatibus apertioribus penetret, comedat infirmus (dum hoc fit) fabas recentes, ac multùm maſticet. Interim verò calefactiones, & frictiones fiant ad caput: & in prædictâ decoctione, eo quod aliquantum fœtet, addatur aliquid croci, & moſci panniculo inuolutum.

Valet & oleum ebuli in aures immiſſum: hocque vnico, tanquam ad obſtructiones earum multùm præualente, egregius Papienſis medicus in propriâ perſonâ aliquando vſus eſt.

SCABIES.

Poſt euacuationes, & phlebotomias hic omnino neceſſarias, ſi iſtis, & balneis haud illicò iuueris, tum ad externa hæc remedia in hoc affectu recurre.

Vnguenta ſeu linimenta ad ſcabiem.

Vnguentum odoriferum ℞ pomatæ odoriferæ ℥ ii, ſtoracis liquidi ℥ S, litargirii argenti ℥ S, ſalis communis ʒ ii, ſucci limonum quantū opus eſt ad vnguentum; ex quo liniatur ſcabies. Huic nonnulli ſaltem lac caprinum adhibent.

adhibent.

Aliud vnguentum. ℞ axungiæ porci bene decoctæ ℥ v, ſuccorum plantaginis, & fumiterræ ana quantum ſatis, olei laurini ℥ iii, thuris albi ℥ ii, ceræ albæ ℥ ii, Mercurii diſſoluti cum ſputo hominis ℥ ii. Miſce, & incorpora in formam vnguenti; quo pedum ſaltem, & manuum plantæ liniantur.

Vnguentũ ſummè iuuans. ℞ calcis viuæ, vitrioli, aluminis, galliæ, ſcamæ ferreæ, cineris nucum auellan. litargirii, auripigmenti, elebori albi, & nigri, ſulfuris viui ana ℥ i, argenti viui cum hiſce mixti, & extincti ℥ ii. ex quibus fiat puluis. Inde ſumantur ſuccorum boraginis, ſcabioſæ, fumiterræ ana ℥ iii, quę bulliant lento igne cum fecibus olei, & aceti: cui decoctioni iniiciantur ſub finem ſuperiores pulueres; additâ picis liquidæ ſemiunciâ, vnà cum cerâ, quantum ad vnguentum ſufficit, ex quo liniatur ſcabies.

Vel accipe folia ſambuci viridis; & cum aceto, ac ſale tritis ad ſcabiem vtere.

Aqua ad ſcabiem præſtantiſſima.

Fiat aqua ex abſinthio; è quà lauetur ſcabies. Hęc herba exſiccata, trita, & in puluerem redacta, fertur & ei prodeſſe qui mare timeat, ſi cum vino ebibatur. Vide aquam mineralem in capite de leprâ ſuperius, quæ plurimum ſcabiei profutura eſt.

Optimum, & facilimum omnium eſt, vt ſumas pulueris irios, & ſulphuris viui ana æquales partes. Miſce; & panniculo linteo obuolue, immitteque obuolutum in oleũ oliuarũ, & exprime multoties à liquore, ac iterũ in liquorẽ imitte, tandemque ex madefacto ſcabiem inunge.

Multa ad hunc affectum à multis remedia deſcribuntur. Dominus du Laurēs celebratiſſimus medicus Gallus in tractatu quem de morbis melancolicis edidit, copioſus in hac materiâ eſt. Lauacra crurum ante decubitũ, conſeruas, electuaria, ſirupos, pillulas, vnctiones, & alia id genus remedia & laudans, & peculiaria exhibens, Prętei quæ, & plurima quę in variis diuerſorum authorum libris videre eſt, ſequentia hęc (quę hic appoſui) haud poſtremum forte locum tenebunt.

Pomum ſomnum excitans.

℞ herbę moræ, ʒ i, camphorę ʒ ii, ſingulorum ſantal. ʒ ii, papaueris, & iuſquiami ana ʒ ii. Miſceantur cum aquâ roſarum, oleo roſato, & papaueris; fiatq; pomum in decubitu odorandum Si validius expetas adde opii g. ii.

Succi fiunt ſomnum prouocantes, prout ſequens. ℞, opii, iuſquiami, papaueris, ſucci foliorum mandragoræ, ſeminis lactucæ, ſucci cicutæ ana ʒ i. Tere in mortario, & ſpongiâ collige, dum nihil ex eiuſmodi ſuccis in eo remaneat. Spongiam verò ad Solem exſicca, hancq; in decubitu ægroto odorandam prębe. Si à ſomno eum excitari velis, alteram aceto imbutam naribus admoue.

Linimentum ad ſomni prouocationem.

℞ ceruſæ ʒ i, iuſquiami ʒ ii, papaueris ʒ iii, S. Trita miſce cum vnguento populeo; diſſolueque in lac mulieris maſculum allactantis, & ad frontem appone.

Philonium Romanum ad doſim ℈ i, ſolum abſque mixtione, vel etiam cum conſeruâ roſarum in decubitu ſumptum

ſumptum inter validiora, ſed narcotica remedia (quorum frequens vſus non ita tutus eſt) ad ſomni prouocationem connumeratur.

Eſt & lodanum, quod ex Theophraſti præſcripto Chimici conficere norunt, vtique potentioris energiæ ad huius conciliationem.

SANITAS.

Sanitatem anno integro tutè conſeruari iamdudum ſœpius obſeruatum eſt, ſi ſumantur cimarum rutæ, & betonicæ ana ℥ iii, inque vinum album optimũ per noctem infundantur; cuius vitrum vnum toto menſe Maio mane ieiunus bibas. Præter hoc, habes in remediis noſtris generalibus vnde ſanum te, & iuuenem diu conſeruare poſſis; quæ ſuo loco vide. Habes & hic vini deſcriptionem, cuius vſus, ad retinendam diu ſanitatem, haud parũ conducit.

Vinum ad ſanitatis conſeruationem.

℞, ex omnibus mirabolanis ana ℥ i. Tere, & in amphoras iiii vini rubei generoſi mitte. Calefiant, ac ſimul miſceantur. His adde poſtmodum cinamomi, maſticis ana ʒ i, galangæ ℥ S. macis ʒ i, S, ſed multùm contritas, atque per integrum octiduum in præfatum vinum infuſas, ex quo ſumantur ℥ v, vſque ad viii. Hoc & ſummopere ad imbecillitatem ventriculi, cordiſque palpitationem valet.

TABES.

Abradatur ante omnia ægrotus, & locus affectus adeo confricetur, vt ruptus, & vndequaque vel pure, vel

ſanguine ſquatens. Lauetur inde forti lixiuio caput; lotoq́; apponãtur confeſtim, ac ſine morà cineres ex lignis duriſſimis, ſparganturque in tantũ, vt iis integrũ (ſummitatem dico, partesque pilis refertas) linteamine ad hoc adaptato coperias. Stet in eum modum ægrotus, abſque alterâ operatione, vel contactu. Tumque amoueantur puſtulæ recens excretæ. Tabes verò vnguento arragonico, calidiſſimê admoto ſingulo veſperi liniatur, linitæque cerotum ex diachilo magno ſuperponatur; fiantque nouæ vnctiones, & cerota ad dies aliquot.

Aliud ad Tabem remedium.

℞ Stercorum columbini, pecoris, anſeris, cum papauere ad libitum. Exſicca, tere, & adhibe in vas cum lardo porcino antiquo, bulliantque donec lardum bene diſſolutum, & liquefactum videas. Extrahe tum ab igne, & cola; abraſisque capillis, alternis diebus vtere: dum leni lixiuio caput ablueris.

Valet & ad hunc affectum, vnguentum, quod capitulo de ſcabie tertium ordine deſcripſimus.

Valet & præ reliquis aqua metallica in capitulo de leprâ deſcripta.

TVMORES.

Summè iuuabuntur ſequenti linimento, facilimo quod habere poſſis; quodque propter energiam ſummam balſamum nominabimus.

℞ olei communis lib. j, therebentinæ lotæ ℥ iii, ceræ nouæ, vel rubræ potius ℥ ii. Liquefiat primum cera in vaſe

vaſe vitreato ad ignem lentum, cui immediatè therebentina addatur, ſubſequente oleo, tũque vas è veſtigio remoueatur ab igne; aſſiduè mouendo, ſi ceram rubrã imiſeris, ne videlicet cynaprium, exquo ea conſtat, fundum vaſis; petat. Serua ad vſum.

VISVS DEBILITAS

Vtere ante omnia in hoc affectu remediis internis, & purga caput ſi ex catharro vel defluxione morbus oriatur; ſequantur inde, exſiccato videlicet quò ad poterit humore, ventoſæ, cæta, cauteres, ac è ſequentibus externis quæ magis arridebunt applicationes.

Pillulæ.

Conuenient quæ capitulo de dolore capitis præſcriptæ ſunt; at ſi ex inflammatione ſanguinis oriatur morbus, ventoſis ad humeros cum ſcarificatione applicatis, ſumatur hic ſirupus: poſtea pillulæ ſequentes.

Sirup. ℞, ſirup. roſat. ℥ iii, mannæ ℥ i, Miſce, & diſſolue pro lenitiuo. Repetatur ter, & amplius.

Pill. ℞ pillul. aurearum ʒ i, pillul. cocciarum ʒ S, cum melle roſato fiant pillulæ v.

Vel etiam procede, vt in affectu hepatis.

Electuarium ad viſum.

℞ ſeminis fenic. lib. ii, eufrag. lib. i, regalit. lib. i, S, radicis chelidoniæ, & ſeminis aniſis ℥ iii, petroſilii, pullegii, ſaxifrag. iſop. florum borag. ana ℥ iii. Omnibus tritis, & mixtis cum melle cocto fiat electuarium.

Aquæ

Aquæ ad confortandum viſum.

Sume florem album, non illum rubeum trifolii. Diſtilla ad lentum ignem, prout aquam roſarum, de quâ immitte ſœpius in oculos.

Sed mage profuturum aduerte, ſi aliquid ſacchari candidi ſubtilſſiimè triti, per calamum ſingulis diebus præter hoc, in oculos immiſeris.

Alia aqua. Sume aliquid vitrioli albi, & in vinum album diſſolue; apponeque oculis.

Item ℞, aloes epatici ʒ i, olibani triti ʒ S, lactis mulieris, & ſucci fenicul, quantum ſatis. Diſtemperentur liquida, & oculis apponãtur.

Aqua camphoræ, cum oleo amigdalarum dulcium ad lentum ignem mixta, viſus debilitati valdè conducit.

Aqua optima ℞ ſucci feniculi ℥ iiii, mellis ℥ i, fellis galli vel perdicis ʒ i. Bulliant aliquantùm ſimul, & apponantur in vaſe vitreo ad Solem, mutatâ frequenter ampullâ, donec haud vlla amplius reſidentia fiat. Vtere matutino tempore, vel ante cœnam.

Alia aqua multum præſtans ad viſum, ℞ herbarum fenic. eufragiæ, tormentillæ, roſarum, roſtri porcini, hippiæ, chelidoniæ, foliorum vitis, agrimon. rutæ, berbenæ, betonicæ, endiuiæ ſilueſtris, galitrici, pimpinellæ, rubeæ, herbæ plomæ, apii, caprifolii, hederæ arboreę, lappatii acuti, gamandriæ ana, prout lubet. Infunde primo die in vinum album, ſecundo in vrinam pueri virginis, tertio in lac mulieris, quarto in mel puriſſimum, inde diſtillentur ſecundum artem, & aſſeruetut liquor diſtillatus : quo lauentur ſœpius oculi; qui et etiamnum ore ſumi poteſt.

Ocul

Oculi lippientes ſummè iuuantur aquæ roſarum infuſione, in quam granum vnum aut alterum thuris liquefacti immiſeris.

VENTRICVLI DOLOR ET DEBILITAS.

DECOCTIO, ℞ ſucci ſaluiæ, florũ roriſmarini, maioranæ, mentæ, petroſilii, feniculi, plantaginis ana æquales partes; item feniculi, ſaluiæ, & maioranæ ana radices vii, Bulliant in aquâ vſque ad tertiæ partis conſumptionem; hiſque poſtea adde cariofilos ad libitũ, nucem moſcatam, Zenziber cum octauâ parte croci. Bulliant & adhuc vſque ad tertii conſumptionem. Cola, & eâ decoctione ad vi, vel vii, ℥ vtere de mane ieiunus.

Pillulæ ad confortationem ventriculi.

℞. Betonicæ, pimpinellæ ana ʒ S, camedreos ʒi, mirrhæ electæ, croci, boli armeni, ana ʒ S, aloes epatici loti ʒ i, S. Tere, & cum ſirupo de betonicâ fac maſſam pillul. è quibus vnam, aut alteram ante cœnam immediate capè. Hę pillulæ quia diu aſſeruari non poſſunt ſæpius confici debent.

Aliæ pillulæ pro confortatione ventriculi.

Pillulas prohibentes ne praui vapores in altum aſcendant, & partes ſuperiores inficiãt, eiuſmodi formabis.

℞ Pillularum de hyerâ cum agarico duplicato, & trochiſcato. Doſis maxima eſt ℈ iiii, in decubitu. Tertio, vel quarto iſthinc die duplo minuenda; vt tandem ad ℈ i deueniatur.

Puluis ad ventriculi confortationem.

℞ galangæ ℥ i, cardamomi ℥ S, ſeminis Aniſi ʒ ii, granor.paradiſi, piperis,zinziberis,Benedicti,ana ʒ i. Fiat puluis apponendus in cibis; & ſeorſim etiam quouis die cum vitello oui, ſaccharo, ac ſucci mentæ ℥ i, tribus ante paſtum horis ad ʒ i, aſſumendus.

Electuarium pro ventriculi corroboratione.

℞ confectionispomorum cotoneorum cum melle lib. ii, mellis cocti, & depurati lib. i, aquæ roſarum ℥ vi, ſacchari albi ℥ viii. Bulliant donec diſſoluantur, & ex his vnũ corpus fiat; cui ab igne remoto addantur cinamomi ℥ i, croci ʒ i. Zenziberis ʒ iiii, cariof. ℈ ii, ligni aloes ʒ iii, moſci ſoluti in aqua roſarum gr. xii, aquæ vitæ rectificatæ ℥ vi, olei ſulfuris ℥ iii, omnibus abſque igne inter ſe commixtis, formetur electuarium; ad ſemiunciam matutino tempore, ac duabus poſt cænam horis ſumendum: Valet hoc & ad memoriam, catarrum, ac tuſſim.

Aliud electuarium pro ventriculo.

℞ ſemin. fenic ʒ ii, ſileris montani, camedreos ana ʒ i, radicis chelidoniæ, cumini, apii, aniſi, petroſelini, ana ʒ ii, pulegii, aneti, Iſopi, florum aneti, granorum Iuniperi, ſaxifragiæ ana ʒ ii, triturentur omnia, & miſceantur, addito tanto mellis quantum ad electuarium ſufficit. Sumatur ex eo ſingulis diebus mane quantum caſtanea.

Tertium electuarium ad ventriculi confortationem.

℞, florum linguæ bouinæ, boraginis, roſarum, ſti-

cados

cados ana ℈ ii, granorum peoniæ, Cardamomi, maioris & minoris zenziberis, cinamomi, macis cariofil. ana ℈i, S. Spodii, trium ſantalorum, camphorę ana ℈ i, coralli albi & rubri ℈ ii, gemmarum hyacinti ſmaragdi, zaphyri, rubini, & granati ana g. v, miſce ſubtiliſſimè trita cum ſaccharo albo quantum ſatis ad electuarium; addēdo moſci g. iii, & amb g. i, ex quo ſume omni die tempore matutino ieiunus quantum cocleari vno capiatur; idque cum optimo vino.

Vide plura deinceps in deſcriptione medicamentorū quę ſequētur: quodq; de ventriculi imbecillitate dictum, intellige generaliter de viriū totius corporis tenuitate, & prauis naturæ affectibus, ad quos prædicta remedia præſertim verò electuaria apprimè conducent.

VRINÆ AFFECTVS
& vitium.

Vrina prouocatur in hunc modum. Sumatur gallus gallinaceus antiquus, ac viuus teratur, atq; contundatur, vſque ad ſanguinis emiſſionem. Decoquatur iſthinc cum multâ quantitate aquæ, nec alia huic amplius ſuperaffundatur. Iuſculū remanēs hauſtū vrinam apprimè prouocabit.

Valet & ad huius prouocationem, ſuccus herbę ſalepichię, quam Itali Miraſole nominant.

Item ſuccus radicis rafani in vino albo decoctus; cui aliquid ex pelle leporis multùm contritâ addendum eſt.

Denique decoctio mellis cum butyro, & biſmaluá in

aquâ communi uſque ad duarum partium conſumptionem, calidè bibita opportunum quoq; remedium eſt.

Ad retentionem verò vrinæ iuuat ſemen lactucæ tritũ in vino albo. Si fluat ſanguis, pimpinellam immiſce.

VOMITVS.

Vomitus hoc pacto ſedatur. ℞, rutæ menſe Maio collectæ, & ad umbram exſiccatæ partem vnam, olibani partem dimidiam. Miſce cum vino; & de eo cape.

Si poſt medicamenta vomitoria nimius vomitus faſtidiat, vtere iuſculis, vel ſero caprino, ſeu lacte.

Item ℞, artemiſiæ, feniculi, fol. abſinthii æquales partes; & cum melle bibe.

Sed & vomitus prouocabitur, ſi bibatur decoctio rafanorum, cum agarico.

Item ſi vngatur ſuperior ventriculi pars axungiâ antiquâ cum triplo aceti, & felle bouis; quod ſub finem ebulitionis ſaltem adhiberi debet.

VERMES.

Ad vermes quos infantes, & nonnunquam adulti pati etiam conſueuerunt conducit hoc electuarium. ℞, Sementianæ ℥ i, dictami albi ℥ ii. Tere ſubtiliter, & miſce. Hinc appone ad vinum optimum crocum, & mel ad lib. ii, fiatq; electuarium benè coctum; cui commiſceantur præfati pulueres, & aliquid etiã ſucci limonũ, vel malorũ aureorũ acidorum; ex quo detur ſemiuncia infanti.

Oleum ſulfuris ad modicam quantitatem, in aquam (vt ſit acidula) miſſum, ebibitumque vermibus conducit.

conducit. Item ſuccus naſturcij ad ℥ i.

Nonnulli linimentum ſequens conficiunt, quod multùm prodeſt, ℞. maluarum, abrotani, mentæ, foliorum perſicorum, abſinthii, rutæ, fellis bouis, quantum ſatis, fiat ex his ſuccus, ex quo tempora, ventriculus, renes & planta pedum liniantur. Quod linimentum habet vim diſſoluendi vermes, & in aquam per ſeceſſum reſoluendi.

Aliis perplacet vſus puluéris vermium ſilueſtrium exſiccatorum, cum aliquo liquore ſumendus.

Item in tollendis vermibus, accipe mirrham, aloem, & crocum in pari quantitate, tere, & binis telæ particulis in acetum roſatum infuſa ſuperpone; quarum vna ſtomachi orificio, altera verò oppoſitæ ex diametro parti applicetur.

Denique ad vermes, ſume pulueris aloes, dictami, gentianæ, ſementianæ, ſeminum porcellanarum, fellis tauri ana ʒ i, ſcamoneæ ʒ i. Incorpora cum butyro, & ex hoc mixto mediam corticem nucis adimple, qui alligatus vmbilico ſuperponatur.

Ad ſerpentes vero tollendos è corpore, valet acetum, in quo baſilicon bullierit. Aliqui atramentum cum vino ebibunt.

Ad vtrumque affectum, oleum vitrioli cum aquâ fælicis modicè ſumptum, conducit.

VENEREM PROVOCANTIA.

Accipe x, caſtaneas mundas in vino maluatico decoctas

coctas, ſatyrionis, & cinamomi ana ʒ S, ſeminis olerum ʒ ii, cubebarum ʒ i, ſacchari quantum ſufficit. Fiat ex tritis omnibus electuarium, ſumendum ante cænam, ad quantitatem caſtaneæ vnius: quod diu in ſuis viribus conſeruari poteſt.

Aliud Electuarium.

Sume ſacchari ℥ iiii, Zenzib. ʒ vi, pipperis longi ʒ ii, pinearum ℥ v. Fiat electuarium, & ſumatur vt ſupra.

Eruca large ſumpta, cicer, cæpe, paſtinaca, aniſum, coriandrum, pinearum vncum nuclei, inter hæc ſatyrion copioſè mouent ſemen, & fortius venereá in re obſtant.

Inter cibos omnes authore martiale bulbi venerem acriter ſtimulant. Ille,

Cum ſit anus coniunx, cum tibi ſint mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

VENEREM REMITTENTIA.

Sume Nenuphar ad libitum, & cum ſirupo papaueris coctum ad ʒ i, ebibe.

Dicti Nenupharis vſus in iuſculis vel aliter commixtus pollutionem tollit, & ſemen minuit.

Id & lignum agni caſti geſtatum pręſtare cenſetur.

Albertus vero eunuchum ſemper fore aſſerit, qui ex vermiculo qui æſtate lucet aliquid, aut integrum etiam cũ vino bibat.

SELECTIORVM ALIQVOT TAM E MINERALIBVS quàm Vegetabilibus medicaminum, quæ phyſicis peritioribus vſui eſſe ſolent, quorum ante facta eſt ex parte mentio, deſcriptiones fideles,

Pars huius operis 2.

AVRVM POTABILE.

QVI ſpagiricæ artis non ita periti, peculiare ex auro medicamentum iam diu cõfecère, quod an potabile ſit, id eſt, an eſſentiæ, & virtutis ſuæ corporis humani membris, & partibus inſtar cibi communicatiuum, equidem dubitarim; cum non veram, aut philoſophicam illius hic ſolutionem animaduertã. Quia tamẽ & excellens, & latentibus pleriſque morbis multùm præualere iamdudum nos experientia docuit, inter has auri præparandi deſcriptiones primo loco inſeram.

EXprime acriter ſuccum è limonibus acerbiſſimis quos habere poſſis, & vnicuique huius, ſed clari, & depurati ſciato xxxx ad minimum auri repurgatiſſimi folia aliquantiſper trita appone. Digerant hæc ad lentum ignem, diebus quatuor, in vaſe vitreo; dum per filtrum

denuo

denuo clarificatus hic ſuccus fuerit. Iſthinc mixturam hanc in ſacculum lineum inferiori parte acutum admoue; quò ſuccus hic colatus ab auro remanente ſeparetur. Huic in eum modū ſoluto ſuperaffunde ſpiritus vini pluries rectificati ſui ad minus ſextuplum; ac denuo ad ignē digeſtionis, verûm per plures dies im̄itte. memineriſque ignis lentiſſimi, vaſe ad medietatem vſque cineribus admoto. Hic prætioſus liquor ſumatur ſemel in menſe, quod & memoriæ regioni, naſo, ac temporibus externâ vnctione fæliciter adhibere potes.

Alia auri potabilis deſcriptio iuxta pleroſque medicos.

Sume rorem quantum ſatis, & ad radios ſolares unâ cum auri foliis in vaſe vitreo colloca. Extracto poſt triduū. ſeu declinato potius rore, ſuperaffunde huic in ipſo eodem vaſe ſpiritum vini, in quem ℥ vii, ſacchari candidi antea diſſolueris. His adde & ſucci limonum ℥ iiii, Hæc dum per triduum ad ignem digeſtionis lentū adhibueris, diſtilla gradatim, & ſecundum artem balneo maris, quò aqua, & ſpiritus, inde per cineres, quibus oleū præcellens emanabit. Serua ſtrictè occluſum.

Tertia deſcriptio auri potabilis iuxta Philoſophos inſignes.

Sume ☉ ad libitum, quod ante omnia per Antimonium, inde per cementum Regale repurga (id quod omnes pratici norunt) inde amalgama cum ☿. Hunc euapora. Remanens alterum, fuſum & in laminas tenuiſſimas redactam

dactum calcina cum ſale comuni præparato per dies tres; vnoquoque nouum ſal in tigillo, ſeu vaſe in quo eiuſmodi calcinatio fit apponendo. Huic hanc in formam, pręparato, & calcinato affūde triplū ſpiritus vini alkaliſati id eſt cum ſale proprio vniti, & homogeneati, atque in vas vitreum oblongi colli ſigillo Hermetis occluſum, ſub calido fimo equino per dies ad minimum xiiii adhibe, quò ſummè attenuari poſſit. Iſthinc ad diſtillandum appone, diſtillaque toties, donec per frequentem, quam Spagirici cohobationem, id eſt menſtrui ad corpus reductionem vocant. aucto ſub finem igne materia omnis in recipiens euolet; ſicque aurum cum vini ſpiritu volatile habeas. Id ſi præſtiteris ſpirituale hoc, verumque potabile, magnumque tandem arcanum es habiturus. At quâ ratione is vini ſpiritus alkaliſatus debeat fieri, vide impoſterum in capitulo de ſpiritu vini. Si à menſtruo ſeparatum expetas, hoc pręſta lentiſſimo igne per balneum maris.

Non deſunt qui & aurum in hac operatione per aquas fortes calcinari debere cenſeant, qui modus mihi haud equidem improbatur; modò ſalſedo iſthinc omnis poſtea eximatur. Id quod minimè aptius fieri poſſe, quam per frequentem ſpiritus vini ſimplicis affuſionem video. Fiet enim vt in breui, ea omnis, acrimoniaq; ſecedat.

AQVILA MINERALIS EX THEOPHRASTI PARACELSI doctrinâ deſumpta, ſiue puluis Mercurialis Diaphoreticus.

Pleroſque languores, aliis remediis incurabiles, mirabiliter ſanans, quæ & ſecretum Corallinum ab eodem nũcupatur.

ACcipe ☿ optimi (qui inde dignoſcetur ſi laminulæ argenteæ ad ignem impoſitus notam auream vel argenteam euolans huic relinquat) lib. i: quam aceto forti, in quod ſal pręparatum diſſolueris, tandiu macera, & laua, donec inſtar pulueris tenuiſſimi ☿ appareat. Bulliant ſimul in vaſe terreo nouo, dum acetum integrum euaporetur: ſuperaffuſoque altero, id demum fiat ad quaternam vicem. Hunc ita expurgatum ☿ cum forti lixiuio è cineribus vitis, & calce uiuâ confecto ad alteram ebulitionem per horas minimùm quatuor appone. Tere adhuc, & aquâ dulci ablue, denuoque in aceto ſuperiori decoque, dum tibi egregiè repurgatus videatur.

Accipe & Antimonium; cuius regulum hic omnino neceſſariũ hoc pacto conficies. ℞ Antimonii boni partes iii, tartari vini ii, ſalis nitri i. Mixta hæc in tigillo capace, vel altero vaſe apto, ponantur paulatim ad fuſionem, id eſt ſucceſſiuis vicibus, ne ſalis, & tartari vehementior

impetus

impetus fiat; ac illico tegantur, ne ſal euolet, donec liquefacta iudices. Remoueatur tunc ab igne vas; huiuſque calentia adhuc latera baculo, vel alio quouis validè petãtur; quò huius fundum faciliore viâ regulus petat, ac integer vnà reperiatur; prout hoc præſtito abſque dubio reperies.

Sume & pariter Aurum puriſſimum, per Antimoniũ ſeu cementum Regale, aut per vtrumque repurgatum, huiuſque ℥ i. in aquâ forti, ex vitriolo Romano, ſale Armoniaco, ſale nitro, & medietate aluminis compoſitâ (quam Regalem vocant) pro more diſſolue, ac ſeorſim ſerua. ſimiliterque in pari reguli quantitate operare; vt & ℥ illius vnam aquá forti diſſolutam altero vaſculo habeas. Quibus expeditis diſſolue pariter ☿ vt ſupra preparatũ, ſed per aquam vulgarem, quam vocant ſeparationis, ex alumine ſaltem & ſale nitro conſtantem; mixtaque hæc ad ſeptenam vſque vicem diſtilla: vnaquâque diſtillatũ, quodque ſublimauerit, ad remanens, ſed tritum denuo corpus ſeu feces reducendo; atque prout author eſt Ioſephus Quercetanus igne ſat valido circa finẽ diſtillatiõis operando, nimirum vt crebris ſublimationibus ☿ mage fixetur.

Quâ in parte, poſtremam diſtillationem ſeorſim per ſe, & abſque reductione ad feces diſtillari, haud à propoſito alienum video, vt ſi quid forte de corporum ſubſtantiâ cum aquis euolaſſet, in hac illud operatione, vel ſublimatum, vel in fundo vaſis reperias.

Ab hiſce diſtillationibus, perge ad nouas alteras ferè toties, ſed nouæ alterius aquæ ad hunc puluerem imiſſione, quæ ſic fit.

☿ flegmatum aluminis, vitrioli an. lib. i, aceti optimi diſtillati lib. iii, albuminum ouorum ad duritiem decoctorum, ac minutum ſciſſorum lib. viii. Diſtillentur ad lentum ignem in vaſe amplo, diſtillatione ſuper feces repetitâ. Serua aquam.

Interim vero puluerem hunc Mercurialem, crebris aquæ dulcis diſtillatæ infuſionibus, à multis quæ vnà remanſère ſalibus ablue; nec id tantum, ſed & ad ignem reuerberii ex præfati authoris conſilio per horas xii, admoue, quo & mage decoctus, & ſi quid adhuc acre, igne deperdatur.

Sic præparato affunde per noctem de aquâ quam nouiſſime aſſeruaſti quantum ſatis, poſteroque die diſtilla ac tertio iterum, ſed nouâ ſemper eâdem, donec ad ſeptenam diſtillationem perueneris.

Nec id & adhuc ſatis. Quin & præfatus puluis in ſpiritum vini optimum & denuo immitti, vnàque ad ternam ad minimum vicem diſtillari debet; vltimòque in aquam roſarum odoratiſſimam aſseruari.

Præcipitatum vulgare ex Mercurio, rubeum.

Sume è ☿, ſale & aceto ſi velis repurgato ad libitum, ſeu verbi gratia ℥ i, ac in pari quantitate aquæ fortis ex vitriolo, alumine, & ſale nitro confectæ diſſolue, dum nihil de eo appareat. Admoue tum igni in vaſe vitreo, in inferiore parte rotundo; calorem verò adauge, quò aqua fortis in breui euaporet, atque remantem rubeum puluerem ad laminam ferream candentem appone, quò aquæ fortis malitiâ, ſeu acrimoniâ repurgari puluis poſſit. Hunc & ſpiritu

ſpiritu vini adhuc aſperge: ſuauiorem habiturus, ſi cum aquis cordialibus poſtremò abluas. Doſis eſt à v, gr. ad x, quæ præteriri haud debent.

Præcipitatum album Mercurii.

Accipe ☿ repurgati quantum lubet. Diſſolue cum aquâ forti in vaſe vitreo vt ſupra: diſſolutioni verò aquam communem, in quam multum ſalis inieceris, ac diſſolueris, appone. Fiet vt ☿ fundum vaſis petat. Declina aquam ſupereminentem, & alteram abſque ſale, reſidentiæ toties immitte, ac declina, donec omnis aquæ fortis odor abſit. Exſicca ad ignem lentum quod remanebit; vel cum aquâ communi ſæpius mutatâ, ſerua. Vtere ad ſcabiem, ad ruborem vultus, ad ſummam huic albedinem inducendam, cum aquæ communis modico. Vtere item ad vlcera, & lue venereâ, cum pauxillo tutiæ: aduerteque in huius operatione, vt ſtatim atque diſſolutum ☿ videris, aquam fortem remoueas, citiſſimèque alteram ſuperaffundas.

Aliud præcipitatum album Mercurii abſque aquâ forti, paucis familiare.

℞. Mercurii genuini, ſale, & aceto repurgati ℥ i. Appone ad cineres in vaſe oblongi colli; dumque caleſcet, ſuperaffunde huic olei ſulfuris per cãpanam extracti triplum. Fiet ut in puluerem albiſſimum reducatur: qui vtique prætioſus eſt.

DE ANTIMONIO.

Quod antimonium magnum ſit corporis humani medicamentum, vel inde dignoſcitur, quod & ipſa metalla curare, ac ſordibus expurgare poſſit. Solet exhiberi aut vitrificatum, aut in puluerem redactum, aut in flores ſublimatum. Vtramque præparationem, ſed clarè, hic deſcribemus.

Puluis Antimonialis.

Sume Antimonii puri lib i. Tere ſubtiliſſimè, ac vnà cum ℥ iii ſalis nitri repurgati miſce, & appone ad vas terreum haud vitreatum, igne carbonum ſubtus extructo. Calefiat dandiu, donec ignis in dictum vas proſiliat, ſæpiusque coperculum impetu abiiciat. Exime poſtmodum, ac de nouo tere, atque iterum, iterumque aſſiduâ mixtione id repete, donec omnis Antimonii malignitas craſſiore fumo euaporet, ac inſtar cineris albi, abſque prauo fætore puluis remaneat. Huic adde tandem pauxillum Antimonii crudi, bene contriti, & ad ſummum fuſionis ignem in tigillo appone, donec liquefiat. Extrahe, & proiice ſuper marmor.

Huius Antimonii ſic præparati doſis eſt g. x aut xv, vel etiam plus. Quia minor non iuuaret; adeo ſpiritibus malignis repurgatum eſt. Ethicis haud conuenit, lue venereâ infectis parum confert, cæteris vero morbis eſt ſummum, & ſalutiferum remedium.

Poteſt hic puluis Antimonialis in vino, iuſculo, aut alio liquore exhiberi, imo & ſolus liquor, abſque puluere, cum pari energiâ ſumi, huicque alius de nouo, ac pluries ſuperaffundi, qui æque operabitur, & proderit.

Aliqui ſolum Antimonium abſque ſale nitro, vt ſu-

perius

perius pręparant, vino albo ſæpius aſpergentes. Sed cum hoc futurum ſit validius, cautè procederes author eſſem, nec ad parem quæ ſuperius, at longè minorem doſim exhiberes.

Flores Antimonii.

Sumatur Antimonium, purum & electum; quod iam fuſum fuerit, atq; in vas terreum forte, & bene coctum, haud vitreatum ponatur Hoc verò in conueniente furno ſic adaptetur, vt carbonum flammam fundus illius attingat, medietate vaſis furni ſummitatem pertranſeunte: Cuius orificio aliud pariter adaptetur, quod ab vtrâque ſui parte perforatum, & vacuum, tertium aliud, eo modo paratum capere poſſit: Hocque ſimiliter aliud, ad quintũ vſque: cuius extremitas tantillum ſaltem ſit perforata; vt patere fumo exitus poſſit. Antimonium verò vt cumque contritum ſit; cui ab initio ignis carbonum, ſed lentiſſimus, paulatim adauctus extruatur; ita vt poſt binas ſaltem horas primi vaſis fundus rubeſcere incipiat. Continuetur aſſiduè ea operatio per noctem, & diem; donec tandem omnis Antimonii ſpiritus (quem flores vocant) ad eiuſmodi vaſorum latera euolet. Refrigerato furno, & vaſis cum luti adhęrentis remotione apertis, colligatur pede leporino, aut pennâ, quæ ad illorum latera adhærens reperietur albedo, eaque in tot chartulas, quos colores in iis diuerſos intuebere, aſſeruetur. Siquidem albiſſimæ flores, omnium præſtantiſſimæ, & ita gradatim. Doſis eſt a iiii, gr. ad viii. vſque, in omni ferme affectu, cæteris remediis haud alleuari valente.

Cæterum inuenietur in imo vaſis inferioris Antimonii

monii regulus; qui haud ingratus erit. Hunc vt præſtantiſſimum quem habere poſſis, etiam diligenter aſſerua.

Alia præparatio florum Antimonii facilis, & breuior.

Eſt & alia præparatio florum Antimonii longe facilior, quam á præclaro artifice didici. Sumatur Antimoniũ purum, quod iam fuſum fuerit, & in vrinali terreo haud vitreato in ſubtiliſſimum puluerem redactum ponatur. Vrinale verò ſit paulo oblongum. Hinc binæ patinæ terreæ inter ſe æquales, verùm non adeo profundæ capacitatis habeantur, quarum vna, medio ſui latè perforata, præfati vrinalis collo (ſi ita loqui liceat) ſic adeptetur, vt nihil ab eo reſpirare poſſit, Cui quidem patinæ, & iuſtè altera, luto terreo (quod ad talia fieri conſueuit) obuoluta, (vt nihil item inde reſpiret,) applicetur: datâ tamen, vt in præcedenti præparatione, per exiguum in ſuperiori parte meatum, fumis exeundi poteſtate.

Hac ſtructurâ ſic adaptatâ, lentiſſimum ignem à principio extrue, ita paulatim, & per gradus auctum, vt horis ad ſummum viii, integra operatio perficiatur, & flores albiſſimos in vtroque uaſe, nimirum vrinali, & patinis ſis reperturus. Sed aduerte, poſt alterius horæ ſpatium (quo malignioribus antimonii fumis dabitur exitus) exiguum illud foramen debere occludi; ne multùm è bonis illius ſpiritibus, in altum ſucceſſiuè eleuatis, deperdatur.

Eo pacto æquè præſtantes, ac ſupra, recepturus es; quarum doſis eſt a g. ii. ad v ſaltem; quia maior nimis fortè premeret, denique aduerte lenius purgaturas, ſi vinum ſaltem, in quod per noctem infuſæ fuerint, ebibas.

Quibus,

Quibus, & aliud ſucceſſiuè, ad octauam vſque vicem, æquè præualens ſuperaffundi poteſt.

Tertia florum Antimonii præparatio, omnium facilima & breuiſſima.

Sumantur duo tigilli ſat ampli, ſed longi præſertim, & eiuſdē capacitatis, necnō ad triāgularia latera æquales, aut proximè: atque in obliquum, vno alteri ſuperpoſito, ad fornacem adhibeantur, quo fumi antimoniales in obliquum item ferantur. Ignis extruatur è ſicciſſimis lignis. Antimoniumque tenuiſſimè tritum in inferiore tigillo abſque ſtrictâ clauſurâ, (quò ad acrioresfūos detur exitus) contineatur; haud violento ab initio calore. Iſthinc poſt ſeſquihoram, aut circiter ſuperiorem tigillum ab altero remoue, quodque ſublimatum fuerit, ab eo tolle, abterſū, & mundatum alteri demum ſuperponendo, lutoque terreo vndequàque obuoluendo vt nihil tum reſpiret. Accidet vt poſt binas ad ſummum horas integrum antimonium iſthic ſublimatum ſis reperturus.

Quarta pręparatio florum Antimonii ſupra omnes excellens, eò quod per vomitum minimè purgent.

Sumatur Antimonium craſſè contritum, & tandiu cum aquâ communi lauetur, vt non nigra, ſed clara inde abſcedat. Lotum hoc, & exſiccatum ponatur ad lentam calcinationem; aſſiduè motum, dum fumare deſinat: indeque in vrinale terreum, quod ad orificium vſq; carbonibus appoſitum ſit immittatur. Super vrinali verò, quin-

que vaſa vitrea, medio ſui latiora, ſeſe mutuo per uacuos fundos, vt in primà pręparatione contingentia, collocentur :ſuperiori, cæteris duplo capaciore, interdictoque ſpiritibus per ſtrictum lutũ cõmeatu. Fiant ſublimationes ſecundum artem: quarum ſuperior pręſtantiſſima, & ſic deinceps.

Alter florum Antimonii per aluum ſaltem purgantium modus.

Vt id fiat, ſume florum Antimonii alicuius pręparationis ex antecedentibus, ſed albiſſimorum videlicet ℥ i, & in lib. i. ſpiritus vini optimi, per dies quindecim, in fimo equino, ſeu balneo maris appone. Declina aquam eiuſmodi à fecibus, & ſtrictiſſimè ſerua. Etenim ʒ illius ii, aut circiter, abſq; ulla uomitus prouocatione, ac ne quidem nauſeâ ſat largè, ſed leniter admodum, aluum mouebunt. Summeque iuuabunt, modò alimenta ſint optima, & ſucci boni.

Flores Antimonii in ſummam perfectionem cenſentur euadere, ſi cum æquali parte ſacchari candidi, ad temperatum calorem continuè per ſemeſtre fermententur.

Ex Antimonii regulo fit ſummum medicamentum, quod eſt eiuſmodi.

Accipiatur ʒ S. reguli Antimonii. Teratur multûm, & cum ℥ iii, aut iiii, vini albi in phialam bene occluſam adhibeatur. Sumatur hoc vinum dum vrgebit neceſſitas, pręſertim in affectu calculi. Poſteaque remanenti regulo aliud

aliud ſuperaffundatur, & ſic deinceps, vt æternum eo pacto medicamentum ſis habiturus. Si haud uomitiuum expetas, vtere immediatè poſt ſumptionem, ſciato vno lactis vaccini.

Ex Antimonii regulo fit & globulus, qui in ore poſitus, licet haud deglutiatur ſtatim vomitum prouocat. Hactenus de Antimonio.

Inſigne medicamentum ex Lunâ, ſiue Argento.

Diſſoluatur ℥ i, Argenti copellati in aquâ forti communi. Euaporatâ aquâ, huic acetum ſuperaffundatur. Euaporato pariter aceto, huic item aqua communis, quâ ſimiliter euaporatâ, ex lunâ remanente ſumatur ʒ S, ad febres, luem Veneream, & calidos omnes morbos.

Laudanum inſigne.

℞ orizei foliati ℥ i, margaritarum non perforatarum ℥ S, florum Antim. aſphalti ana ʒ i, croci orientalis, ʒ iii. mirrhæ Romanæ, aloes ſuccotrini ad pondus omnium. Reduc in formam, doſis eſt à iiii, gr ad x vſque. Hoc pretioſum medicamentum in ſummis deploratiſque morbis fæliciſſimè adhibebitur.

Aliud laudanum ad febres malignas præſtantiſſimum.

℞. Antimonij preparati lib. i, ſacchari candidi libram medicinalem. Fiat puluis ſubtilis, & diſtilletur in arenâ, aut balneo, iuxta artem.

Huius olei accipe ℥ ii, aloes ſuccotrini ℥ i, ambræ ℥ S, croci

S. croci ſelectiſſimi, ʒ vi. Reducantur omnia ſucceſſiuè in maſſam, & fiant pillulæ paruæ. Dentur iij. grana, cum cõſeruâ boraginis, ante acceſſum febris, inducaturque ſudor ſi fieri poteſt.

MEDICAMENTORVM ALIQVOT E VEGETABILIBVS DEſcriptiones nonnullæ.

Elebori nigri pręparatio. I

Menſe Iulii Lunâ in aſpectu fælici cum Ioue exiſtente, aut etiam cum Venere colligi debet eleborus hic niger: nõ flos, non folia, ſed radix, & lignum. Lauetur hinc quantũ ſatis; ſimpliciter, et abſque aliâ diſſectione à ſordibus emundatus. Exſiccetur poſtmodum ad vmbram in loco aperto, atque ponatur in vinum album per tres dies, aſſiduè decoctus. Conſumpto vino addatur & alterum, tandiu vt tota virtus elebori in vino remanente reſideat, euaporetur tandem dictum vinum reiecto eleboro, & quod remanebit in dictâ euaporatione tanquam mel nigrum amarum ſerua ad vſum. Doſis eſt gr. xii, & etiam xv.

Melancolicis, podagricis, ſpleneticis, menſtruorum prouocationi, ſummum, & ſalutiferum remedium eſt.

Altera elebori nigri pręparatio.

Nonnulli reſecant fila illa quæ radicis medio reperiuntur, ac denudatum iſtis eleborum in vinum cittonicũ, multùm clarificatum, per horas xxiiii, apponunt, quod vbi poſtea cum præfæto vino vnâ aut alterâ ebullitione incaluerit, proiiciunt cum integro liquore ad tabulam

longam

longam,& latam, aut alterum mundum locum, & exſiccant ad vmbram. Doſis huius præparationis eſt ʒ i, prout ſolet vulgariter exhiberi.

Antiqui ſolebant uti pomo, in quo radix elebori munda á cortice ſuperiori multis partibus infixa fuiſſet, quod ad cineres, vel ad furnum (quod melius) decoquebant.

Tertia pręparatio elebori nigri præ cæteris excellens, & mirabilis.

℞ radicum elebori nigri, eius qui florem purpureum geſtat, herbarum quoque ab omnibus immunditiis cum vino mundatarum ana manip. iiii. Conquaſſentur & imponantur in vinum rubrum, vel moſcatellinum, in vaſe uitreo, bene obturato, ad duas menſuras, & in caldari in aquâ buliente per diem, & noctem ſinito. Poſtea exime, & ſuccum fortiter exprime & filtra. Hoc filtratum pone ſuper recentium radicũ elebori conquaſſatarum manip. i, roſarum rubrarum manip. v cariofilorũ ʒ vi, prius contuſis, ponito ſimul in digeſtionem per diem vnum, addendo vini ardentis octauam partem præcedenti vino, & iterum ponantur in digeſtione per alios tres dies : poſtea exprimantur, & colentur, & liquorem ſerua Interea liquorem ſuperius reſeruatum per balneum diſtilla, quousque materia in fundo vaſis inſtar mellis remaneat. Cũ phlegmate para ſalem de cineribus ſuperius reſeruatis. Huius ſalis ℞ ℥ S, croci orientalis ʒ i, ambræ griſeæ ʒ ii, miſce ſimul terendo, & cum ſuâ propriâ aquâ ſuperius diſtillatâ repone totum; & hoc ter repete. Hæc te ſcire velim, antequam iungas ſuum ſalem, & ambram, materiam prius eſſe ſoluendã,

 filtrandam,

filtrandam, & diſtillandam: Donec ſit puriſſima, & hoc ſœpius: deinde adde ſalem, crocum, & ambram. Tunc habes formam ſpecificam elebori nigri, pergratam, laudabilis medicinæ, quæ phlegmaticos ſenes reducit ad temperaturam, & ſanguinem mundificat, & naturalem virtutem conſeruat, principalia membra, imo vniuerſum corpus ab omnibus futuris ægritudinibus, & morbis acutis, vſque ad terminum à Deo conſtitutum præſeruat. Sic enim excellit omnes virtutes herbarum in conſeruandâ eſſentiâ corporis humani in ſuà virtute.

Vſus huius elebori talis eſt.

Sumatur huius ℈ i, in menſe, cum aquæ ſuæ ſuperius reſeruatæ, & in quintam eſſentiam redactæ ℥ iiii. Diſſoluantur, & ſimul bibantur ieiuno ſtomacho, & hoc de nocte, ab anno 60 vſque ad 70: quo peracto omni poſtea medio menſe ſumatur, & deinde omni ſeptimaná Decrepitum hominem in iuuenem renouat, quò ad ſanitatem, & fortitudinem. Dentes à prauis humoribus ſeruat, oculos ab omni fluxu, à paraliſi, apoplexiâ, podagrá, & omnibus malis, & corruptis humoribus præſeruat. Hoc medicamentum decanus quidam reperit, & eo vſus eſt, qui annis centum octoginta ſex vixit, cuius epitaphium tale eſt.

Hic iacet edentulus, canus, atque decanus.
Rurſus denteſcit, nigreſcit, & hic requieſcit.

Pręparatio ad ſumptionem medicamenti eleborini.

℞ ſirup.

℞ ſirup. de corticibus citri ſimplicis, ſirup. de lupp. acetoſi ſimplicis ana ℥ i, S. Miſce aliquid ſpiritus elebori, & ſumatur ſingulo mane ℥ i, S, plus, aut minus per tres dies.

At ſumptionem intellige, non præcedentis immediatè, ſed alterius validioris: quia illa quaſi inſenſibiliter agit; nec aliâ ad eam præparatione opus eſt.

Cæterum contra offenſiuam elebori valet lac caprinũ ore ſumptum.

Sennæ pręparatio.

Cum Sennæ mirabiles effectus iamdudum expertus fuerim, quâ haud amicum magis humano corpori forte medicamentum reperiatur, nonnullas ideo præparandæ illius deſcriptiones hic immediatè ſubiiciam.

℞ Foliorum, & radicis ſennæ ſi haberi poſſit, alias folia ſufficient. ℞ inquam ʒ ii, tartari vini albi aut alterius ʒ i, cinamomi ʒ S. Bulliant conquaſſata vnicâ ſaltem ebullitione cum viii, vel plus ℥ iuſculi pullorum, vel carnis vitulinæ, aut alterius, cum boragine, & bugloſſâ; aut bulliant in pari quantitate aquæ boraginis, aut bugloſſæ, vel alterius prout è lupulis, acetoſa, pimpinellâ, feniculó petroſelino, prout affectus feret; & poſt eiuſmodi ebullitionem, maneant in vaſe coperto infuſa per noctem. Poſtero die cola; & in colaturâ adde mannæ electæ ℥ i. Diſſoluatur ad cineres calidos, & bibatur potio matutinis horis ieiuno ſtomacho quatuor horis ante cibi ſumptionẽ. Auge, vel minue doſim aromatum, prout perſona feret.

Alii ſic præparant. Sumatur ſciatus vnus ſat amplus, aquâ communi plenus, in quã infunde fol. ſennæ manip. i, aniſis

i, aniſis coriandri, feniculi medium pondus omnium. Stet infuſio ad Solem per diem vnum, indeque bulliant in vaſe mundo, uſque ad medietatem. Cola, & de colaturâ bibantur ℥ v, aut vi, cum ſaccharo roſato.

Quidam in hunc modum vtuntur, ℞ liquir. paſſularum ana ʒ i. Bulliant in aquis morbo conuenientibus, vel in vino, aut iuſculo ſi non decumbat, quibus appone ſennæ ʒ iiii. Bulliant & adhuc paululum, ac ſeruetur ad noctem ebulitio, matutino tempore exprimenda & colanda. Sumatur vt ſuprá cum modico aniſis.

Alias, ℞ cinam. ℥ i, macis, croci ana ʒ i, fol. Sennæ ʒ vi. Miſce, & fiat puluis in quolibet liquore.

Denique centum & vltra annos ſenex, ſed validis adhuc viribus rogatus non ita diu, quid ad tantam ſui conſeruationem præſtititiſſet haud alio ſe, quàm sennâ contritâ, cum vino, & tertiâ Zenziberis parte ebibitâ, medicamento in vita vſum eſſe reſpondit.

LAPIS VEGETABILIS.

Accipe Tartari albiſſimi craſſioris tranſparentis, therebentinæ, herbæ ſemperuiuæ, quæ & aloes ana lib. i. Terantur omnia ſimul, & fiat paſta quam diſtilla in vaſe vitreo, forti luto obuoluto, extraheque gradatim omnem humiditatem, ac feces cum aquâ extracta tere, impaſta, & diſtilla; ſed igne fortiori ſub finem, vt penitus aduſtæ remaneant. Has denuo ſuá aquà imbibe, idemque quod proximè magiſterium ſeruaſti repete, donec haud vlla ãplius inde hũiditas elici poſſit, ac feces inſtar ſalis albi in fundo vaſis remaneant. Has ad locum humidum in oleũ

reſolue:

reſolue: cuius ʒ i, cum modico iulepi violati per dies xxxx ebibita, ſummum pleriſque affectibus humanis remedium eſt, atque in rebus metallicis haud vulgare arcanum.

Quinta eſſentia vini, ſeu Mercurius vegetabilis.

Modum quintam vini eſſentiam præparandi accuratè deſcribit Vlſtadius, in libro cui titulum fecit: cœlum philoſophorum. Deſcribunt & recentiores multi, quorum præſcripta ſi legere, ac ſequi te pigeat, in huius præparatione ſic procede.

℞ vinū optimū generoſū, montanū, ſubdulce, in ſufficienti quantitate: quod in plura vaſa vitrea adhibitum, & ſtrictè clauſum, per decem ad minimum dies putrefiat, aut in fimo, aut in balneo. Hoc putrefactum diſtilla lentiſsimo igne in vaſe item vitreo, longiſsimi colli: interponeque ad partem huius ſuperiorem, vel ſpongiam, vel quippiam aliud, prout craſsiorem chartam conduplicatam, quò niſi ſubtilioribus vini ſpiritibus in altum pateat aſcenſus; ac perge in diſtillatione, donec octaua circiter vini pars aſcenderit. Inde diſtillatum hoc per octiduum circiter ad putrefactionem denuò admoue, ac diſtilla ut ſupra, ſed ad medietatem ſaltem & igne lentiori: iterumque putrefac, ſed minori tempore, & ita procede uſque ad ſeptenam vicem.

Necdum id ſatis; ſed & hunc vini ſpiritum, qui ſummè excellens, & adeò ſubtilis erit, ut ab alto vix in terram decidat, denuò in alterum vas circulatorium per dies ad minimum x balneo maris, vel ſi mauis temperato arenæ calori admoue; quò fiet, ut quantumcunque purus, & ſub-

tilis; tamen à terreá adhuc, ſed item valdè ſubtili ſubſtantiá fundum vaſis petente depuretur: quem vel declinatione, vel filtro, ut vocant, ab eâ ſeparatum in forti vaſe vitreo, diligenter occluſo, ſerua ad uſum.

Sed aduerte, dum hunc vini ſpiritum circulare volueris, ſigillo Hermetis vas accuratè munias: ultimæ verò antecedentis operationis diſtillationes per balneum fiant.

Hanc quintam vini eſſentiam, ſeu diuinum quid, ad omnem languorem tollendum, è primariis remediis humanis unicum eſſe ait Lullius. Peculiariter verò, ad humores è capite fluentes: prout ſunt Cæphalia, Monopagia, Hemicrania, Vertigo, oppilatio narium, Catharrus, Sincope, dolores inteſtinorum, & ſimilia.

Quinta verò eſſentia vini, quà ad ſoluenda metalla Spagirici utuntur, (quam & alkaliſatam ſupra nominauimus) eo ferè modo fit: niſi quod menſtruum præterea conficiunt ex ſale fecium vini, quod extrahitur à primo flegmate per euaporationem illius, exſiccationem, & fortem calcinationem, donec illud habeatur albiſsimum, tamdiu cum ſuo ſpiritu (de quo ſuperius) diſtillantes, ut & unà cum eo volatile fiat, vnaquâque diſtillatione exſiccando, calcinando, & albificando: quod & longum, & tædioſum eſt.

Elixir vitæ, ſpiritus vini compoſitus.

℞ Carioſi. nucis moſcatæ. zenzib. galangæ, piperis longi, & rotundi, granorum iuniperi, corticũ citronorum, corticum malorum aureorum, florum ſaluiæ, baſiliconis, roris marini, maioranæ, mentæ rotundæ, baccarum lauri,

lauri, pulegii, gentianæ, calamenti, florum ſambuci, roſarum albarum, anthos, ſpicæ nardi, ligni aloes, cubebarum, cardamomi, calami aromatici, ſticados, camedreos, camepitheos, nigellæ, macis, olibani, aloes hepatici, ſeminis anethi, ſeminis arthemiſiæ ana ℥ S. Moſci fini, ambræ orientalis ana carattos ii, ficuum pinguium, paſſularum, pineorum, amigdalarum dulcium ana ℥ S, mellis albi lib. vi, ſacchari fini lib. xii.

Terantur hæc incorporata, ac vbi per quinque aut ſex dies in ollà conueniente ad cineres calidos aliquantũ inuicem fermentata fuerint, iterum & cum ſpiritu vini ad duplum omnium, calore cinerũ lento, in vaſe vitreo bene occluſo fermententur, factà diuiſione omnium in plura vaſa, pro rata ſuperioris doſis, vel hac præparatione ſeruatà, ſi minorem quantitatem expetas.

A fermentatione, perge ad diſtillationem omnium, ſecundum artem; videlicet per alembicum vitreum, balnei maris igne lentiſſimo. Quà diſtillatione exibit primò elixir vitæ clarum, & pellucidum; quod per ſe aſſerua, remanēte in fundo vaſis phlegmate aliquo; quod ſaltem ad maculas, & lentigines è vultu tollendas ualet, ac fæcibus præterea nigri mellis inſtar, quæ præualent theriacæ; & ad multos affectus conducunt.

MATER BALSAMI.

℞ therebentinæ optimæ, & electæ lib. iii, thuris, aloes epathici ana ℥ iii, maſticis, cariofilorum, galangæ ana ℥ ii, cinamomi, nucis moſcatæ, cubebarum, gummæ elemi ana ℥ ii. Terantur, & in vaſe vitreo, forti luto obducto, per quinque aut ſex dies ſuaui igne fermentētur, &

paulum putreſcant: inde diſtillentur ad cineres, ac lentè quidem à principio, aucto poſtea calore, dum totum diſtillarit. Hoc poſtremò diſtillatum mater balſami nominatur.

Coniunctio, & diſtillatio elixiris vitæ.

℞ ſupradictorum, videlicet ſuperioris elixiris, & matris balſami antecedenti capite deſcripti ana æqualem partem; & poſt aliquam fermentationem, balneo diſtilla; diſtillabitque primò aqua clara, albiſſima; ac vlterius in diſtillatione pergendo, ſequetur oleum ſupernatans huic aquæ, quam ſi ſeorſim balneo diſtilles, oleo in vaſis fundo remanēte, hanc ſeorſim habiturus es, ac ſi poſt extractā cū oleo eiuſmodi aquam, vlterius in operatione pergas, ſtillabit & ruberrimus liquor; nimirum balſamus artificialis; ſed magno igne, & labore. Itaque cenſerem aquam illam, quam ſuperius ad partem ſeruaſti, & ab oleo ſeparaſti, denuo in diſtillatione reponeres, quâcum, faciliori longe negotio ſtillabit balſamus hic: quem ab eâ balneo demum ſeparabis; modò diebus aliquot inuicē primò fermentari ſinas. Singula ſeorſim diuiſa inter ſe vnius compoſiti elementa eâ ratione habiturus, aquam videlicet, quæ primò clara emanauit, quam & matrem balſami nuncupauimus, aerem ſeu oleum, quod ſecundò ſtillauit, ignem ſiue balſamum illum rubicundiſſimum, qui ſubſequenter, terram denique, nempe feces, & ſalia quæ in fundo vaſis remanſère; diſtincta omnia inter ſe, & colore diuerſa, quæ quantumcumque ſimul repoſueris, haud vnquam commixta liceat intueri. Hoc elixir, ſeu balſamus tantæ virtutis, ac

energiæ

energiæ medicamentum eſt, vt ſingulatim vix enarrare concedatur. Ad omnes pene corporis affectus, præſertim verò ex cauſâ frigidâ ſubortos, mirè præualens; ſi vel cum iulepo, vel cum aquis boraginis agrimoniæ, & cæteris cordialibus vel tantillus ſumatur. Peculiariter verò ad vlcera omnia, & vulnera antiqua, modicâ illius immiſſione; ad oculorum maculas ſimiliter, ſed tertio ſaltem die; ad renes, & calculum, ſi parumper ebibatur. Ad morbum matricularem, ſi cum iuſculo ſumatur; ad dolores omnes è percuſſione ſubortos, ſi fiat linimentum, neruis breuioribus ſi pariter; febribus, læpræ, Phtiſico, Hydropico, Paralitico, Epileptico, Apoplectico, & Sciaticæ ſi tantillũ de eo ſumatur. Iuuentutem reducens quotidianâ ſumptione, moribundum reſtaurans, ſi aliquid ſumere is poſsit.

Aqua vero, clara illa, & pellucida, ad maculas omnes è vultu tollendas vnctione ſumme præualebit: Item ad pellem ſummè decorandam, ad ſananda quæuis vulnera, ad cancros, fiſtulas, & alia id genus, ſi ex eâ linimenta fiant.

Extractum à ſpiritu vini, vulgo aqua cæleſtis.

℞ Cariofilorum, galangæ, nucis moſcatæ, piperis longi, piperis rotundi, granorum iuniperi, corticis limonum, corticis malorum aureorum, corticis citronum, foliorum ſaluiæ, baſiliconis, roriſmarini, maioranæ, mentæ, rotundæ, gentianæ, ſpicæ nardi, ligni aloes, cubebarum cardamomi, cinamomi, calami aromatici, ſticados, camedreos, meligetæ, maſticis, calamenti, foliorum ſambuci, roſarum albarum, anthos, macis, thuris maſculi, aloes

hepat. ſeminum, & foliorum anethi, ſeminum arthem. ficuum exſiccatorum, vuarum paſſarum, dactilorum ana ℥ i, amigdalarum dulcium, pineorum ʒ i S, mellis albi lib. vi, ſacchari fini lib. i, Terantur omnia ſimul, & infundãtur in x, lib. ſpiritus vini optimi per dies ſex naturales, & ſecundum artem diſtillentur ad lentum ignem, mutato recipiente, ubi ſtillatum colorem mutauerit, & fæcibus, quæ in multis pręualent, diligenter aſſeruatis.

Si & hoc ſtillatum cum præcedente balſami matre immiſcueris; ſi per duos dies ad ignem digerenda, & fermentanda appoſueris, ac balneo maris, ſecundum artem diſtillaris, tres diuerſi coloris liquores, vti in antecedenti diſtillatione, ſummè prætioſos habiturus es, quibus ad pleroſque affectûs tutè vti potes,

Extractum tertium à ſpiritu vini.

℞ radic. angel. & peoniæ ana ℥ S. zedoar, calami aromatici, dictami albi, ſeminum orymi, cariofilorum, cubebarum ana ʒ ii, cinam. optimi ſantalorum ſingul. ana ʒ i. Infundantur in lib. i optimi ſpiritus vini in vaſe circulatorio per dies quinque. Sęparatis fecibus, liquor tinctus tanto etiam tempore digeſtionis igne circuletur, filtretur, & aſſeruetur ad vſum. Valet ad moribundos, Apoplecticos, Peſte correptos, Hydropicos, Epilepticos, Melancolicos, ad colicę paſſionem, & cordis palpitationẽ.

Extractum Quartum.

Accipe nuces moſcatas, cariofilos, galangam, cardamomum, cubebas, macem, centauream, cinamomum, crocum, & thus ex ſingulis ℥ i, omniaq; in mortario ſub-

tiliſſimè

tiliſſimè tere, ac deinde affunde in ſextuplum ſpiritus vini; tandemque diſtilla lento igne ad cineres.

Hoc extractum prodeſt læſis auditus, viſus, & memoriæ ſenſibus, ſi huius vel minimum ore ſumatur. Valet & ad omnium membrorum debilitatē, ac vniuerſi corporis imbecillitatem unctione: contra venena, & putrefactionem omnem: denique ad linguæ vitium.

Extractum quintum abſque diſtillatione, ventriculi debilitati peculiare.

℞ aquæ vitæ ℥ vi, cinamomi electi, vtcumque triti ℥ ii, ſacchari roſati ℥ i, mellis roſati, & oximelis ana ℥ i, Agitentur, incorporentur, & decantetur liquor: ex quo ſumatur cocleare vnum ſingulo die.

Eſt & inter innumera alia peculiare extractum, quod inſignis author longè prędicat, á theriacâ videlicet, aquam theriacalem vocans: quod ad prouocationem appetitus ciborum, adque vniuerſam ſanitatis conſeruationem multùm valet.

Aqua chelidoniæ, & oleum.

Hæc herba, quæ & ſancta nominatur vnà cum radice mundâ, priusquam ad diſtillatorium apponatur in vaſe vitreo ſigillato, per dies ſeptem, ſub fimo equino fermentari, atque putrefieri debet; indeque balneo maris ſecundum artem diſtillari; ac tandem quod non diſtillatum remanebit, in vas aliud vitreum obliqui colli, quod cucurbitam nominant, terreo luto circumcirca munitum imponi Fiat diſtillatio ſuperiore validior, obſeruatis tamē

ſecundum

ſecundum artem ignis gradibus: quà tres diuerſi coloris liquores remanantes accepturus es, aquam ſubcroceam, quæ in recipiens primò ſtillabit, oleum, quod igne adaucto, ſed mutato recipiente proximè ſequetur, igneam tertiò eſſentiam, ſubnigram, & craſſam, ſuperiori parti (collo videlicet vaſis) adhærentem, quæquidem (oleum & ignis) abiectis fecibus, tertiâ diſtillatione & rectificari debent.

Quantæ, & quàm multiplicis energiæ ſit hoc ſtillatum, author eſt Lullius. Quippe (ſed oleum peculiariter) præ cæteris ait præcellere ad iuuentutis reductionem, & cutis innouationem, ad mundificationem ſanguinis, euacuationem melancholiæ, acuitatem viſus, auctionem virium, & lætitiæ acquiſitionem. Igneam verò eſſentiam & ad prædictos valere affectus, & cum quintâ Solis eſſentiâ ſumptam, moribundum ad vitam reducere, ac naturam denique hominis in melius commutare.

Hanc herbam menſe Maio colligi, idem author præſcribit, huicque modicum ſalis in putrefactione vult apponi. Ea, & abſque diſtillatione, cum vino optimo decoqui, filtrari, ſeu colari, ac tandem conuenientiſsimè ſumi poteſt: atque inſtar balſami omninò præparari.

Aqua, & oleum roriſmarini.

℞ ſpiritus vini ſuperius deſcripti, aut alterius optimè præparati, partes tres, ſummitatum florum roriſmarini partes duas. Colloca in vaſe occluſo per diem, & noctem: poſteaq; diſtilla ſecundum artem balneo maris. Huius aquæ ſi ℥ ii, bis in ſeptimanâ ſumantur, valebunt ad ventriculi & cerebri confortationem, concoctionem iuuabunt,

bunt, atque digeſtionem; necnon ad Podagram, & Paralisim conducent.

Oleum verò fiet, ſi poſt aquæ diſtillationem, vel in eodem ipſo, vel in altero vaſe, maiori calore adhibito, in operatione pergas: quod & alterâ diſtillatione rectificari, & poſtea circulari debet.

Aqua cinamomi, ſpiritus, & oleum prætioſum.

Aqua cinamomi, quam in aquæ potu plerique admiſcent, fit ex partibus æqualibus vini albi optimi, & aquæ roſarum: quorum ſingulorum ad libram adduntur cinamomi ℥ iiii: diſtillatione balneo maris lentâ; cui & ſaccharum pro nutu demùm addi debet. Sed attende; diſtillationem ne admodum protendas, ob flegma ſcilicet vini, quod unà commiſceretur.

Spiritus veró, ſeu tinctura, prout cariofilorum, extrahitur item à ſpiritu vini, in vaſe oblongi colli Hermeticè clauſo, poſteaque in fimum equinum calidiſſimum (cui calx viua, & urina ſæpè iniiciantur) appoſito, atque per filtrum depurato. Similiter omnium aromatum ſpiritus, & eſſentiæ elici poſſunt.

Oleum denique, per alembicum, ſeu urinale oblongi colli, cui & alterum cupreum, palmâ unâ longum annexũ ſit, additis unicuique cinamomi octo communis aquæ libris extrahitur. Fitque ſex ad ſummum horarum ſpatio integer aquæ ſimul, & olei (quæ ſecundum artem, vel balneo, vel aliter ſeparari debent) aſcenſus: remanente in fundo vaſis aquà communi.

Nonnulli per ſpiritum vini hoc & extrahunt, ſed acu-

tiſſimum quod inueniri poſſit, ita operantes. ℞ cinamomi optimi, & electi quantùm placet, & craſſo modo contunde, huicque affunde de ſpiritu vini in urinali non ita oblongo, quod quatuor vel circiter digitis ſupernatet. Diſtilla primùm igne lentiſſimo, deinde ſub finem augeto. Fiet ut oleum cum ſpiritu vini aſcendat. Separa hæc balneo, ac demùm circula.

Aqua ſancta & oleum.

℞ ſanguinis humani puriſſimi ſani hominis iuuenis, vel plurium, quantum ſatis, ſeu (verbi gratià) lib. i. Diſtilla lentè ad cineres in vaſe vitreo, cum æquali parte medullæ bouis: quatuor diuerſi coloris liquores eâ diſtillatione recepturus; pellucidam, & claram aquam, quæ primóemanabit, ſecundam pallidam, tertiam ſubcroceam, quartam veró rubicundam: quarum, ſed præſertim poſtremæ virtus, & energia tanta eſt, ut moribundum viuiuificent, iuuentutem reducant, fiſtulis, lepræ, vulneribus antiquis, & recentibus, paralyſi præſertim mirè præualeant, omni die ad guttulam unam cum vino albo ieiuno ſtomacho ebibitæ.

Sed & huic diſtillationi prout in capitulo de chelidoniâ cenſerem antecedentem putrefactionem, & ſubſequentem circulationem debere addi.

Sal veró ſanguinis humani quod longè præcellens eſt, & ad mira præualet, ſic præparatur: ℞ ſanguinis humani prout ſuperius. Exſiccetur lentiſsimè, & ad Solem ſi fieri poteſt. Exſiccatus, tritus, & aceto diſtillato imbutus, ponatur ad ſublimandum, & totum ferè ſublimabit album ut nix.

Aqua

Aqua calcis viuæ.

Aqua calcis viuæ fit illius diſſolutione in aquam communem, quæ per filtrum depuretur. Huius ſi vel modicum morituro apoplectico in os immittatur, ſtatim ad loquelam reducit.

Oleum perforatæ.

℞ ſciatum unum vini albi optimi, quod habere poſſis, & imple floribus, aut ſemine perforatæ, vel utroque ſi mauis: quamquam flores ſint potiores. Stent in infuſione per dies tres naturales, indeque ſume lib. i, olei oliuarum optimi, & antiquiſsimi, ac ſcutellam vermibus ſilueſtribus in vino albo prius lotis plenam cum ʒ i croci. Quæ unà cum dictis floribus ab infuſione ſemotis, adhibe in vas vitreum ſtrictè clauſum ad caldare aquæ bullientis, per diem integrum. Extrahe tandem, & appone ad locum humidum per dies, & noctes tres, inde ad Solem tamdiu. Cola denique, & oleum à ſuis fecibus, in panno lineo expreſsis remoue, ſeruaque ad uſum. Proderit ad vulnera noua, & antiqua, ad ſpaſmum ex vulnerum dolore ſubortum, ad vulnera item ex ferro venenato inflicta. Sed miſce cum ranis ſilueſtribus exſiccatis, & tritis, huicque dictamum album cum theriacâ appone.

Oleum rutæ.

Oleum rutæ fit in vaſe vitreo oblongi colli eâdem pleno & Hermeticè clauſo, atque ſub ſaluiæ radice per annum integrum in terram appoſito. Cuius unctio valet ad præſentiſsimam dolorum omnium ſedationem.

Oleum florum, & herbarum omnium.

℞ amigdalarum dulcium mundatarum, florum item, & herbarum, quarum extrahere oleum volueris; ana quam ex ſingulis quantum lubet, & in vas vitreum oblongi colli, ſigillatum ſub fimo equino calido per triginta dies ad putrefactionem appone. Exime tunc à fimo, & collo vel huius parte reſectâ, pannum lineum mundum illius extremitati alligatum appone, quæ in alterius vitrei vaſis maius orificium, lanâ & luto obductum adaptetur; & expone ad Solem, donec omnis humiditas ſuperioris vaſis ad inferius defluxerit. Serua, & utere, ac ante omnia flores, ſeu herbas aliquantum exſicca.

Acetum ſcquiliticum.

℞ lib. i, ſileris montani mundati, & expurgati à durioribus partibus, & multùm contriti: quam in octo vini optimi ſextaria infuſam, per integrum menſem diebus canicularibus ad Solem apponito, aceto inde colato, & expreſſo: ex quo bibatur manè aliquid. Eodem ferè modo fit vinum: niſi quod infuſio debet ad dies xxxx protrahi, & vini quantitas xii ſextariorum eſſe, cui additur mel ad libitum. Siler vero montanus diebus canicularibus colligitur, & ad umbram per dies decem exſiccatur. Doſis eſt ℥ ii, ante paſtum; poſt veró ſaltem i. Hoc acetum, & vinum ſcquiliticum cerebrum purgant, memoriam augent, vitam prolongant, ventriculum confortant &c.

Oleum cranii hominis.

Oleum cranii elicitur ex cranio humano minutim contrito, per cucurbitam fortiter luto munitam, amoto primùm

mûm flegmate, deinde oleo proximè ſequente, cui æquale mumiæ pondus addi; hocque ſuper feces ad quartam vicem diſtillari, & in fimo denique rectificari oportet. Id quantùm ad memoriam, variosque morbos præcellat, nemo eſt, vel tantillùm in lectionibus authorum verſatus, qui ignoret.

Eſt & alius hoc oleum eliciendi modus, quē magis ferè probarim. Sumitur craniū humanum in minutas partes ſectum, quæ calefiunt donec rubeſcant, indeque in ſpiritum vini pluries iniiciuntur: tandemque illius cum hoc fit diſtillatio: quâquidem utrumq; oleum ſcilicet & ſpiritus, abſque multo labore in altum conſcendunt. Separentur balneo, vel aliter, ſecundum artem.

Oleum ceræ ſeu cœleſte.

Accipe ceram nouam in vaſe vitreato liquefactam; quæ adhuc calens in aliud item vas vitreatum cum vino optimo immittatur; quo aſſiduè lauetur: indeque ad nouam liquefactionem ut ante ponatur; vino pariter, ſed recenti abluenda: ac in eundem planè modum uſque ad octauam vicem præparanda. Exponatur inde ad aerem nocturnum, atque unà cum tantillo mumiæ, & olei perforatæ diſtilletur in cucurbitâ. Hoc oleum peculiare eſt ad morbos omnes frigidos.

Oleum mellis & therebentinæ.

Sume therebentinâ, vel melle quantum placet idq; ad carbones ſuper tripede diſtillandum appone; dum fornax abſit. Hac diſtillatione aqua primùm, magna copiâ profluet: cui lentiſſimus adhibendus ignis, donec ul-

teriùs pergendo, & oleum emanet. Quod tum peractum erit, dum nil amplius crepitare aduertes. Poterunt verò tam aquæ, quàm olei ℥ x ex duabus libris elici. Separentur, vel mutato recipiente, vel balneo maris; prout lubebit.

Si ab eiuſmodi hæc aſcenſu, qui & ſatis faſtidii parit, prohibere velis, oleo camomilli partem vaſis diſtillatorii vacuam inunge.

Oleum iuniperi.

Simili omninò modo fit oleum iuniperi, nucis moſcatæ, aniſi, & cariofilorum, quo & cinamomi: de quo ſat ſupra. Plerique tamen primum illud, ſed cortice denudatum, & multùm exſiccatum inter bina vaſa terrea per deſcenſum extrahunt; quod Podagræ, Epilepſiæ, & pleriſque languoribus ſummè valet.

Nota verò ne Lunâ deficiente diſtillationes eiuſmodi aggrediare: neque item, ſi diſtillanda prius aromata cum ſuis aquis aliquantùm non fermentaris.

OLEVM VITRIOLI.

In hac operatione mineralis huius electio cautè facienda. Quippe plurimùm intereſt in rebus naturalibus, atque genuinis, non in adulteris operari. Dignoſces verum, & naturale vitriolum; ſi ſoluas cum aquâ communi, & in reſidentià reperiantur ſcamæ auri, vel argenti viui, vel lapilli aliorum colorum. Item madefiat cultellus lucidus in aquâ, & confricetur cum vitriolo. Si dictus culter æneo colore tinctus remaneat, tale vitriolum haud genu-

genuinum eſt, ſin aureo; hoc verê Romanum erit: quo, & non alio hic utere.

Sume ergò illud; ſubtiliter tere; & in vas terreum nouum, benè coctum, haud plumbeatum, ſeu vitreatum, ſtrictè clauſum, & filo ferreo colligatum, ad furnum, quo vaſa fictilia coquuntur, adhibe: nec inde quàm finitâ vaſorum coctione extrahe. Remotum iſthinc vitriolum, in panno lineo mundò diſtendatur, in quod aliquantum aquæ vitæ iniicias, ad umbram poſtea exſiccans, hocque magiſterium ter, quaterúe repetens: atq; ita præparatum, diſtilletur igne reuerberii in vaſe obliqui colli, ſeu cucurbitâ, per dies quatuor. In diſtillatione verò gradûs ignis amplo recipiente adaptato accuratè ſeruentur, vasque diſtillatorium formæ ſit aliquantùm planioris, nec ita ſurſum in rotundum diſtenſæ, quò maior huic calor, & oleo facilior fluxus. Secundo die liquorem clarum ſubrubeum, tertio aliquantùm obſcuriorem, quarto verò nigrum iſthinc habiturus. Mutatis coloribus, recipientia vaſa mutare, inque diuerſa aſſeruare memineris. Primum ſiquidem aliquantùm debilius, quod abſque magnâ nauſeá, citraque periculum ore ſumitur. Secundum & tertium aliquantùm acriora, ſed quæ & rectificatione & circulatione ſuauiora fieri poſſunt.

Alia præparatio olei vitrioli.

℞ vitrioli Romani genuini lib xv, quæ rubificentur ad furnum calcinationis, donec media parte conſumantur. Hiſce aliquantùm contritis, admiſce arenæ maris, aut alterius lib. i: unáque in vas diſtillatorium impone, ſineque viginti quatuor horis ſecundum artem diſtillari, ſed igne

igne è lignis ſiccißimis, ad furnum reuerberii extructo. Fiet ut olei aliquantùm obſcuri, ſed fortißimi ℥ xiiii eâ diſtillatione ſis accepturus. Valet hoc mirè ad apoſtemata, ſi ad ℈ S, cum iulepo violato, vel roſato, vel aquâ communi, in quam ſaccharum diſſolueris, hoc ſumatur.

Oleum vitrioli breuiori tempore præparatum.

Nonnulli Spagiricorum oleum vitrioli breuiori tempore ſic præparant. Teratur hoc ſubtiliter, & rubificetur, ac in oleum vitellorum ouorum candens iniiciatur, unáque in urinali duos illo ad digitos ſupraſtante bulliat donec totum conſumatur, vitriolo exſiccato, quod demùm teratur, atque diſtilletur, prout ſuperius: oleo de ouis pellucido, & aurei coloris primo loco, tum ſucceßiuè altero vitrioli hinc emanante: quæ uti prætioſa ſtrictè aſſerua.

Vir noſtro tempore celebris, hunc in illius extractione modum ſeruat. Omnem aquam diſtillatione elicit, humiditate extractâ fortem ignem per duas horas extruit, atque in tantum auget, ut rubeum fiat, nec non ſuperpoſità ipſi illius aquâ, exſiccat, ac de nouo rubificat, hocque nouies repetit. Decimâ tandem diſtillatione; poſt extractam humiditatem omnem, oleum eliciendo.

Oleum vitrioli cum ſulphure præparatum.

Accipe ſulphur purum, & electum, ac tere ſubtilißimè: atque cum arenâ mundà in vas diſtillatorium appone, extraheque aliquantulam humiditatem quæ primùm emanabit: ſulphur verò remanens tere, & cum nouà are-

nà

uà arenà toties miſce, donec ab eiuſmodi diſtillatione albiſſimum abſcedat. Sublimetur tunc dictum ſulphur in ſublimatorio, ſuperiori parte lato; atque in eo congelletur. Congellatum cum vitriolo Romano calcinetur in vaſe terreo, ita occluſo, ut humiditas eius omnis per exiguum commeatum euaporari tamen poſſit: quà integrè abſumptá, & ipſum ſulphur combuſtum exime, tandemq́ue vitriolum remanens ſecundum artem, aut prout ſuperius, ſed alio in vaſe diſtilla. Caue à vaſis plumbeatis in calcinatione, & memineris ampli recipientis, mutandi ubi opus fuerit.

Olei vitrioli iuxta antiquos, & modernos ſcriptores virtutes, & energiæ.

Oleum vitrioli ſanat Lepram, cum ℥ ii aquæ pimpinellæ ſumptum, ſanguinem purgat cum maluatico, ſcabiem cum aquà fumi terræ, pilos canos tollit cum aquâ endiuiæ, nigros ſuperinducit cum aquâ betonicæ, hemicraniam, & vertiginem remouet cum aquâ maioranæ. memoriam iuuat cum aquá feniculi, Melancholiam arcet cum aquá boraginis, Phreneſim, cum aquâ nenupharis vel mentæ, Epilepſiam cum aquà pæoniæ. Paraliſim cum aquà mentaſtri, virium imbecillitatem cum aquà feniculi, Podagram cum aquà roſarum, Podagram frigidam, cum aquà olerum, Podagram calidam cum aquá parietariæ, vel plantaginis, dolores corporis cum aquá trifolii, Calculum cum aquá ſaxifragiæ, vel raphani Colicum dolorem cum aquá rutæ, Sciaticam cum aquá vitæ, Peſtem, & venena cum maluatico. Cerebri imbecillitatem, pariter.

OLEVM SVLPHVRIS per campanam.

Oleum ſulphuris extrahitur per campanam vitream ſat amplam, quæ in aere tali artificio appendatur, ut palmá circiter uná à tigillo (quem ſuper patiná vitreá, in riuis quàm medio profundiore infra collocari oportet) ſit diſtans: quò in illam partem ſtillare, & retineri oleum poſſit. In quem tigillum appone copiam ſulphuris mundi, & benè triti; atque ferrum uná candens, aut carbonem. Fiet, ut illius vapores ad campanæ ſummitatem, lateraque paulatim aſcendant, poſtmodumque in dictam patinam vitream, ſed aliquantùm tardius diſtillent. Verùm immitte & aliud quoque ſulphur, dum conſumptum id, quod in tigillum primò appoſuiſti, nec non in loco aperto, ſeu domus ſummitate (quò fœtorem nimium euitare poſſis) id perage. Hoc oleum valet ad vermes, dentes, vini conſeruationem, ſi vel modicum huius in dolium apponatur, &c.

Oleum ſulphuris ſecundum Chimicos.

℞ ſulphuris viui puriſſimi, in puluerem impalpabilem redacti, quantùm ſufficit. Teratur, & imbibatur aquá vitę optimá, ad eum modum quo pictorum colores. Exſiccetur deinde, & ouorum duriter coctorum medio, ablato ab hiſce vitello, filo circumcirca colligatum apponatur. Oua, prout ſulphuris quantitas erit, plura ſint: diſtillabitq; oleum ad humidum, ſi ſurſum appenſis tenue fiat foramen, & recipiens vas infra apponatur. Hoc diſtillatum ad cineres per alembicum denuò diſtilletur, ac primò ſtillabit

bit aqua clara, ſeorſim aſſeruanda; indeque oleum rubicundiſſimum, ſi adaucto igne in diſtillatione ulterius pergas: quod metalla tingere aiunt.

Sulphur verò in hunc modum, album præparatur. Miſce æqualem partem cum ſale nitro, & in ollam magnam ad lentiſſimum calorem adhibe, donec fumi ceſſent. Olla verò tecta quidem ſit, ſed meatus huic, ad euaporandos illos fiat.

Oleum ſulphuris multiplicatiuum.

Fit & ex eo, quod per campanam extractum eſt, mirabilis liquor: quem ſi in phialam, quæ eo plena ſit apponas, partemque huius quartam ſingulo menſe demas, haud quicquam tamen è quantitate primá decreuiſſe, poſt alteram Lunam reperturus es. Idque non ſemel quidem, ſed & quotieſcumque fiet: imò & demi, (ni illud deperdi mauis) planè neceſſe eſt. Hoc arcanum facile & nullius negotii in tui gratiam, liberaliter hic reuelabo.

Sumantur huius, verbi gratiâ ℥ x, quibus unica ſaltem criſtalli calcinati immiſceatur: dumque ſpirat orientalis ventus (quem Itali Zirocco nominant) ſimul diſtillentur. Diſtillato utere ad debilem ventriculum, pectoris dolorem, & frigidos affectûs, ſed unctione ſaltem.

OLEVM TARTARI.

Quia in tractatu ſequenti de oleo corallorum huius olei fit mentio: cuius pertractatio ad Chimicos potiùs quàm Medicos attinet; quædam hic ideò inſerere volui; & quomodo illud præparetur.

Accipe tartarum album in ſufficienti quantitate, &

per horas xxiiii fortiſſimo igne calcina; niſi mavis ad fornacem vaſorum fictilium, dum ea decoquuntur adhiberi, vel cum ſale nitro (quod meliùs) ad ignem commiſceri. Hoc calcinatum album in aquam communem ſtillatam iniice, & in eam diſſolue. Declina iſthinc aquam à fecibus, filtra, & poſtmodũ ad ignem euapora: habebiſq; ſal tartari albũ: quod & albiſſimum, longeq; puriùs euadet, ſi denuò, vel pluries diſſolvas, filtres, evapores. Reſolve hoc ad locum humidum ſuper marmor, colligeque oleum in vaſe mundo ſubtus adaptato.

Oleum corallorum, ſiue tinctura.

Accipe corallos ruberrimos, multùm, & ſubtiliter tritos: hosqve in acetum radicale genuinum ter ad minimùm diſtillatum, per dies quindecim, aut plures in vaſe vitreo oblongi colli Hermeticè clauſo, ad lentum ignem appone; ſed paulatim; quia, ob nimiam vim aceti, quantúmuis altum fuerit vas, materia omnis efflueret. Inde dum rubei ſat coloris acetum percepiſſe videris, amoue, & aliud acetũ corallo affunde, pergeque toties in hunc modum, donec ampliùs haud rubeſcere videas. Hæc aceta omnia, tincta, & rubra ſuavi diſtillatione à remanente in fundo vaſis liquore ſeparentur; qui aquá dulci diſtillatâ per declinationem effusâ, bis, terúe lauetur: ac ſi quid in eo acre adhuc remaneat, oleo tartari primùm, deinde aquâ item diſtillatâ demum abluatur. Si clarum, & pellucidum expetas, reſolue item ſuper marmor, ad humidum.

Oleum margaritarum ſeu eſſentia.

Oleum margaritarum eo ferè modo quo oleum corallo-

rallorum præparatur, eoſdemque ferè effectus habet.

℞ lib. i aceti radicalis diſtillati, alkalizati, id eſt cum proprio ſale uniti, & homogeneati, ſpiritus vini item alkalizati lib. S. Miſce in vaſe vitreo, & affunde his liquoribus, margaritarum ſubtiliſſimè tritarum ℥ iiii, atque in fimum equinum calidum, aut balneum per integrum menſem admoue. Quo tempore margaritæ inſtar lactis, aut mellis in fundo vaſis attenuatæ reperientur. Declina lentè acetum, ne commiſceatur, ac ſi quid in iis acre remaneat, aquâ communi diſtillatâ abluatur, poſtquam videlicet igne lentiſſimo exſiccatæ fuerint. Denique, ut oleum corallorum, reſolvantur ad humidum. Vide alteram deſcriptionem huius olei in tractatu de corpus humanum venuſtantibus; qui huic proximè ſubiicitur.

Oleum philoſophorum de lateribus.

Sumantur lateres recens cocti, quos aqua non imbuerit: terantur ſubtiliter, & in vaſe apto apponantur ad ignem calcinationis, dum rubeſcant. Extinguantur candentia in oleo oliuarum antiquiſſimo, vel laurino: hancque exſiccationis, contritionis, rubefactionis, & extinctionis operationem in eodem oleo repetatur; tandemque ſecundum artem hoc diſtilletur, addendo aliquid caſtorei, ſpicæ nardi, & rutæ, ſimul contritorum, ac ſuperuenienti poſt aquam oleo nouum recipiens admouendo. Circuletur in fimo per dies viginti, & aſſeruetur ad omnes affectus frigidos.

Oleum de ouis.

Sume vitellos ouorum duriter coctorum in ſufficienti

quantitate, qui aſſentur in apto vaſe, aſſiduè mota, dum omnis humiditas euolet. Appone in ſacculum poſtea, & hoc per torcular exprime quantùm ſatis. Expreſſionéq́, in vaſe mundo collectam aut diſtilla ſuauiter, aut ad circulationem per dies aliquot in fimo colloca. Valet ad Podagram, aduſtionemq́ue, tingit crines, cutem dealbat. Hoc ſummè perfectum euadet, ſi uti ſupra dictum eſt, ab oleo vitrioli denuò eliciatur.

Modus extrahendi ſeorſim quatuor elementa à quolibet compoſito.

Sume è quolibet corpore, prout ſanguine humano, partes decem, unamq́ue ſalis communis præparati: inq; vitreo vaſe Hermeticè clauſo ad fimum equinum calidiſſimum adhibe, dum materia putreſcat. & (quod triginta ad ſummum dierum ſpatio accidet) tota in aqueum humorem convertatur. Diſtilletur hic balneo maris, donec ceſſet diſtillatio: tumque elementum habes aquæ, remanentibus in vaſe tribus reliquis, quæ vi balnei extrahi haud potuerunt. Accipe aquam illam, & denuò ſuper alia tria elementa, id eſt feces quæ remanſerunt, vaſe uti ſuperius clauſo, immitte, & ad balneum per dies ſeptem appone, ut fiat debita commixtio. Quo tempore elapſo, diſtilla materiam per cineres, balneo fortiores: habebisq́ue liquorem aurei coloris; ac dum nil amplius ſtillabit, ab igne remove: duo compoſiti iam huius elementa habens: aquam ſcilicet, & aerem: quæ ſi balneo diſtilles, elementum aquæ limpidiſſimum in recipiens emanabit, remanente in fundo vaſis oleo rubro. & limpido; quòd aeris elementum eſt. Iam, ut alia duo, ignem

vide-

videlicet, ac terram elicere poſſis, reſume denuò lib. iiii extracti ſecundò liquoris, & eas appone ad libram unam materiæ, quæ in vaſis fundo remanſit; perque diem, & noctem balneo maris digerendas ſinito: quò fiat debita commixtio, & incorporatio: indeque ad ignem immediatè flammæ, abſque cineribus diſtilla, aſcendetque rubeus primùm, deinde ſubniger liquor; qui ignis elementum eſt: remanente in fundo vaſis (dum nihil amplius diſtillet) materiâ nigrâ, quæ verum terræ item elementum: quam ſeorſim aſſerua. Aquas verò rubeas, quas proximè aſſeruaſti, ſi balneo iterum diſtilles, & limpidiſſimam primam, & ſubflaui coloris alteram, remanente in vaſe oleo ruberrimo, naturæ, & eſſentiæ igneæ recepturus es. Sicque habitis tribus hiſce elementis, puris, & per ſe, ut terræ poſtremum habere & poſſis, appone materiam in vas terreum, forti luto obductum, & undequaque clauſum ad ignem reuerberii, per dies tres, vel ſi mavis ad fornacem vitriariorum per diem unum: quo ad albedinem uſque calcinari ea poſſit. Tunc tere, & uno è ſuperioribus elementis, puta aere, vel igne, vel utroque ſimul imbibe: dum tertia vaſis pars ſaltem impleatur, diſtillaque modo immediatè præcedenti: diſtillationem antecedentibus multò nobiliorem habiturus. Nam ſi poſtremum hoc diſtillatum, per balneum diſtilles, quàm perfectum, & excellens ſit quod in fundo remanebit, norunt qui talia confecêre, potiſſimè ſi ad circulatorium admoveatur.

BAL-

BALSAMI, ET VNGVENTA AD VLCERA, DOLORES VNIverſlaes, tumores, & alia id genus corporis humani mala.

Balſamus ad internos dolores.

SVme therebentinæ Venetæ lib. vi, olibani ℥ ii, aloes citrini, cubebarum, maſticis, cariofilorum, galangæ, cinamomi, nucis moſcatæ, ana ℥ i, gummæ ficuum, gummæ hederæ ana ℥ iii. Terantur arida, & per alembicum vitreum ad lentum ignem primò diſtillentur. Prima aqua exibit clara, & lucida; quam ſerua ſeorſim : dumque colorem diſtillatio mutarit (qui ſubrubeus, & inſtar mellis erit) mutetur & recipiens; illaque pariter aſſervetur. Tertiam inde rubicundam, & oleum verum mox recepturus: quod veri, & naturalis balſami vires, & energias in ſe habet. Serua, & utere.

Secundus balſamus ad prædictos affectûs, qui & oleum incombuſtibile.

Accipe ſaponis albiſſimi ſubtiiiſſimè triti quantum ſatis : quem dum in cucurbitam impoſueris, parem ſpiritus vini ſepties diſtillati quantitatem huic affunde : & diſtilla calore lento, & recipiente amplo : ignem demùm adaugens, dum liquor omnis extrahatur; oleum videlicet, & aqua : quæ ſecundum artem ſeparentur, ſeorſimque in vas vitreum ritè occluſum appoſita ſeruentur. Hæc ad ulcera maligna, ad varios dolores; præſertim verò Podagræ

græ, & qui ex lue Venereâ oriuntur, ad febrem quartanam magna, & ſalutifera remedia ſunt: aqua quidem, & ſpiritus ſumptione ſed oleum unctione ſaltem.

Tertius balſamus ad internos dolores.

℞ ſaluiæ, betonicæ, lauandæ, roriſmarini, menthæ, lauri ana manipulos aliquot; qui decoquantur in ſufficienti quantitate vini generoſi, donec vinum fermè conſumptum ſit; idque in balneo. Cola, & colaturam fortiter exprime, & iterum coque, donec inſpiſſetur.

Vnguentum ſummè excellens ad vulnera percuſſiones, oſſa torta, & eiuſmodi.

℞ betonicæ, berbennæ, centauræ maioris, ſaluiæ, abſinthii, parietariæ, pimpinellæ, matriſiluæ, conſolidæ maioris, & minoris, brioniæ, perforatæ, millefolii, ana manip. i. Conterantur utcumque in mortario lapideo, & poſtea in vinum generoſum infundantur. Bulliant inde poſt biduum, uſque ad conſumptionem medietatis. Cola, & fortiter exprime; addeque in colaturâ raſæ pini pinguis ℥ vi ß, ſerapini ℥ iii, galbani ℥ iiii gummi hederæ ℥ i, armoniaci ℥ ii, olibani ℥ i, therebentinæ ℥ iii, boli armeni ℥ ii, aloes hepatici ℥ i: trita ſubtiliter omnia, atque cum ſuperioribus ſuccis, & liquoribus diſſoluta, & incorporata ad lentum ignem, donec inſtar mellis inſpiſſentur: tumque appone his ariſtologiæ longæ, & rotundæ ana ℥ ii, lactis mulieris maſculum allactantis ſciatum unum. Hæc denuo paulum ad ignem bulliant; iterumq; colentur. Serua colaturam in vaſe vitreo mundo, & eâ

R ſaltem

ſaltem ſemel in die utere.

Alterum unguentum prætioſum ad eadem.

℞ vini albi generoſi lib. vii, betonicæ, rutæ, roſarum, violarum, chelidoniæ, berbenæ, pimpinellæ ana manip. i. Tere has herbas, & in vinum illud per dies tres appone. Bulliant hinc ad lentum ignem uſque ad conſumptionem vini totius, quod unà cum dictarum herbarum ſucco validè exprimatur. Hinc ſume olei oliuarum, ceræ nouæ, raſæ pini, ana ℥ vi, picis naualis, therebentinæ, galbani ana ℥ iii, ſerapini, armoniaci, gummæ hederæ, ſarcacollæ, gummæ arabicæ ana ℥ ii, picis albæ, thuris maſculi ana ℥ iii, lactis mulieris allactantis maſculum ℥ vii, fuliginis ferri puræ, & mundæ; cui in locum mundum ſparſæ unguentum è ſuperioribus tritis, & mixtis cõfectum ſuperponatur, manibusque oleo roſato unctis, aſſiduè teratur, donec ſatis. Vtere tanquam cerotto ſeu emplaſtro.

Vnguentum tertium, vulgo Diui Coſmę.

℞ raſæ pini optimæ ℥ xviii, olei lentium, olei laurini, ſucci betonicæ, ſucci millefolii, ſucci berbenæ, ſucci ſaluiæ, gummæ elemi ana ℥ vi, maſticis, thuris, mirrhæ, mumiæ, gummi arabici ana ℥ iii, viridis æris ℥ i. Bulliant primò ad lentum ignem in vaſe terreo raſa, olea, & ſucci: deinde addatur mumia, poſtmodum thus, hinc mirrha, & ſingulatim etiam maſtix, gumma elemi, viride æs, poſtremóque gumma arabica, & aſſiduè moueantur ſpatulâ ferreâ uſque ad duritiem. Serua & utere in modum emplaſtri.

plaſtri, ad affectus ſequentes: ad vulnera capitis, percuſſiones cum vulneribus, & abſque, ad antiqua vulnera, & recentia, fiſtulas, oſſium extractionem, mundificationem, maturationem, & reſolutionem.

Optimum & facile linimentum ad vulnera.

℞ therebentinæ, olei amigdalarum dulcium ana quantùm ſufficit. Bulliant lentè: deinde aliquantùm magis. Adde ſub finem ceræ albæ quantùm ſatis.

Vnguentum facile & præſentiſſimnm ad manuum & labiorum crepaturas, item talorum.

℞ olei amigdalarum dulcium recentis, ℥ ii, ceræ albæ nouæ ℥ i, camphoræ ʒ S. Diſſoluantur lento igne in vaſe vitreato, & his addatur poſtmodum albumen oui diſſolutum, uſque ad trinam ebullitionem. Agitentur iſthinc donec frigeſcant, fiatque decoctio lento igne, ob eleuationem materiæ; quæ tum ab igne remoueri debet.

Aliud unguentum, oculis peculiare, quod pellem ſurſum, vel deorſum retractam pauciſſimis diebus reuellit, & in formam decentem reſtituit.

Accipe butyrum recens, quod lauetur, & iterum, donec albiſſimum euadat (id quod melius erit ſi cum aquâ plantaginis fiat) ultimoque cum aquâ roſarum albarum ſi haberi poſſit, abluatur. Miſceatur hoc, & incorporetur

cum tutiâ præparatâ, ſubtiliſſimè tritâ, & in aquâ roſaceâ conſeruetur: ex quo imponatur pauxillum ſub oculis.

Siquidem ulcera, tumores, & dolores indurati, primò mollificari debent, hæc ideò mollificantia hic adſcripſi.

Cataplaſma mollificans.

℞ radicis alteæ, liliorum alborum, ireos, ana ℥ i, flor. camomill. pug. i, maluæ, biſmaluæ, viol. ana pug. ii, ſeminis lini, fenugræci ana ℥ S, baccarum lauri ʒ ii. Coctis & contuſis omnibus fiat cataplaſma.

Vel ſumatur ebulus in aquâ decoctus; teratur & cum axungiâ porci miſceatur; de quâ fiat emplaſtrum.

Vel ℞ ceroti, de mucilag. de alteâ, diapal. ana ℥ S. Miſceantur, & fiat cerotum.

Mirabile experimentum, & quaſi incredibile ad omnia vulnera ſananda, abſtergenda, conſolidanda, mollificanda.

℞ papiri, vel chartæ coloris cinericii, quæ eſt minimi valoris quantùm ſatis. Combure in loco mundo, & fac cinerem, quem appone vulneribus.

Ait Philoſophus, vinum in quo eleborus albus per noctem infuſum fuerit ebibitum, per diem naturalem omne vulnus curare.

Vnguentum aliud mollificans, abſtergens, incarnans, refrigerans, purgans, reſtringens.

℞ olei

℞ olei roſati ℥ xii, linguæ canis tritæ manipul. i, ſecundi corticis ſambuci manip. i. Bulliant in vaſe æneo hæ herbę, donec exſiccentur: additâ expreſſioni cerâ ad ſui pondus, & ℥ vi pulueris ceruſſæ: ac de nouo bulliant aliquantùm; deinde refrigerentur; frigidoque liquori addatur ℥ i, picis naualis tritæ; ac ſi velis exſiccans ℥ i colooph. ſi abſtergens, ℥ i præcipitati ſi mollificans, pars olei liliorum, vel viol. vel amigdal. dulcium: cui unguento cāphoræ aliquid, videlicet ℈ i, admiſceri poteſt, ut odoriferum conſeruetur: quod ad gummas item plurimùm conducet.

Fit & unguentum ſimpathicum, quod aliquibus Stellatum; quo vulnera quælibet abſque dolore, ſoloque ſanguinis contactu ſanari dicuntur; etſi miliaribus aliquot ægri diſtantes, modò tamen illorum ſanguis habeatur. Sed quia ferè non naturale videtur (etſi tamen plerique aſſeuerent) inter hæc ideò phyſica minimè apponam.

Fit & noſtro etiam tempore haud minus admirandæ virtutis medicamentum, quod qui ſemel aſſumat, nullius unquam, ſaltem per annos triginta veneni malitiâ lædi poſſit. Sed quia ſummorum Principum peculiare eſt, nec omnes id ſcire expedit, quod in pernicioſum uſum poteſt adaptari: dum quis videlicet eiuſmodi armatus antidoto, cibisque veſcens & ipſe venenatis, ad ſimilem eſum alios poſſet pellicere: ideò quæ dicta ſuperius in hac materiâ ſufficiant.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΚΟΣ-
ΜΙΚΩΝ.

SIVE ARCANORVM, QVAE AD humani corporis decorem, & venuſtatem ſpectant, deſcriptiones variæ, Pars III.

AQVÆ.

AQVA PRIMA. Fit per diſtillationem, in hunc modum: Sume ouorum albumina x, mellis albi lib. i, aquæ florum fabarum lib. iii, limones minutim ſciſſos num. iii, ſacchari fini lib. i, boracis ℥ vi, camph. ℥ iii, nucis moſcatæ, cariofil. ana ℥ i, S, columbas num. ii. Terenda ſubtiliter piſtentur, & unà cum præfatis liquoribus balneo maris per alembicum diſtillentur; cuius extremitati aliquid moſci, & ambræ pannulo alligatum adhibeatur: ac ſtillabit aqua prætioſa. Hanc ſerua ad uſum.

AQVA SECVNDA fit item per diſtillationem, hoc pacto: accipe limones xxv; ſcindeque in minutas partes; ac iſtis adde porcellanarum ſubtiliſſimè tritarum ℥ i: è quibus fiat ſtratum ſupra ſtratum, in vaſe apto: idque per octiduum. Diſtilla tandem balneo, diſtillationemque repete; quæ item prætioſa eſt.

AQVA TERTIA per diſtillationem ſimiliter fit. ℞ ſpicæ nardi, camphoræ, euforbii, cariofilorum, cinamomi, ſarcacollæ, aluminis feciæ, ana ℥ ii, axungiæ porci

 non

non ſalſæ liquefactæ, & colatæ lib. ii, in quas immittantur ſupradicta benè trita; quibus adde aquæ violarum albarum, & therebentinæ claræ ana lib. ii, ac tandem per balneum uti ſupra diſtilla. Huius aquæ uſus talis eſt. Lauetur primò vultus cum aquâ, farinę fermenti commixta; pannoque lineo tegatur, donec ſit exſiccatus, ac ſuperiore diſtillato inde abluatur: quod ſerua uti prætioſum.

AQVA QVARTA per diſtillationem quoque in hunc modum præparatur. Accipe lib. iii, aceti bis ad minimum diſtillati; & hoc in vas vitreum cum ℥ viii porcellanarum albarum, earum nempè quæ odoribus conficiendis uſui eſſe ſolent, Hermeticâ clauſurâ, ſub fimo equino per dies quindecim admoue. Extrahe tandem; & depuratum per filtrum liquorem ſerua ſeorſim in vaſe benè item occluſo. Hinc ſume ſucci limonum lib. vi, in quas margaritarum calcinatarum ℥ iiii, talci item calcinati tantundem, & argenti puriſſimi ℥ ii, immiſeris; iſtaque in vaſe vitreo ſtrictè include, & ad fimum uti ſuperius reconde. Interim verò & vinum album generoſum habe, in quod ſequentia aromata infundantur; atque ad Solis æſtum per octiduum ſtent: nempè aluminis rochæ, aluminis plumæ, aluminis ſcariolæ, aluminis ſuccharini ana ℥ i; addito hiſce, lactis mulieris ſciato uno, cum ℥ iiii ſublimati calcinati: quod ita præparatur. ℞ Mercurii ſublimati quantum placet, huncque in forti vaſe terreo clauſo, & luto undequáque obducto, appone ad furnum reuerberii maximum, per horas quatuordecim: vel etiam ad fornacem vaſorum fictilium, donec ea remoueantur.

Hac infuſionis operatione finitâ habe pulueris cucumerum ſaluaticorum ℥ v, quæ cum ℥ vii ceruſſæ bulliant

in

in aquâ fabarum, uſque ad conſumptionem tertiæ partis. Cola per filtrum, & hunc liquorem reliquis iam præparatis adde: iſthincque accipe lib. vi, aquæ vitæ, in quibus & ℥ iiii pineorum mundorum pariter bulliant, uſque ad tertiæ partis conſumptionem: ac omnes eiuſmodi liquores in amplum vas terreum, vitreatum appoſitos aſſiduè per horas quinque ad cineres tepidos ligneá ſpatulâ moue. Habe item & columbam pinguem, quæ plumis, & inteſtinis ablatis, impleatur ſaccharo candido, & litargirio argenti; atque in eum modum cocta, & in minutas partes diſſecta, in ſuccum malorum aureorum per diem unum apponatur: ac tandem ſic præparata, unà cum eiuſmodi ſucco, & antedictis liquoribus aſſeruatis addatur: quibus & denique triginta ouorum recentium duriter decoctorum albumina, cum butyri recentis lib. ii. admiſceatur. Hiſce præparatis omnibus, para balneum, quo diſtillentur; diſtillationemque abſque fecibus itera, ac ſi ſummè perfectam habere velis, ad radios Solares in vaſe vitreo per menſem integrum appone. Huius uſus eſt ut madefiat in eo liquore pannus lineus, tenuiſſimus, qui vultui in decubitu ſuperponatur.

AQVA QVINTA per ebullitionem. ℞ aluminis ſcariolæ, zuccharini, aluminis rochæ, boracis ana ʒ vi, ſacchari fini ℥ i, camphoræ ʒ i. corticum ouorum gallinæ num. iii. Omnia ſubtiliſſimè terantur, exceptis ouorum corticibus, quæ ſaltem manibus comprimi debent. Bulliantq; ſimul mixta, exceptâ cãphorá in vaſe vitreo, aquá limpidiſſimá fluminis pleno, uſque ad tertię partis conſumptionem; quibus tum camphora integra, non trita admiſceatur. Cola aquam, & colaturam in vitreo vaſe,

cui

cui & eadem camphora admiſceatur, diligenter aſſerua. Huius aquæ vſus eſt, vt eâ primùm vultus cum modico lanæ, deinde poſt puſillùm aquâ communi recenti abluatur.

Aqua ſexta per ebullitionem.

℞ raſuræ ligni Breſiliani ℥ i, & hanc in aquam communem per dies tres im̃itte. Inde ſemiunciã glutinis ex adipe piſcis confecti cum eâ raſurâ fortiter tere; & in aquam caulium affunde, ſtareque permitte, donec mollis fiat. Bulliãt ea poſtmodum: & aluminis rochæ bene contriti ℥ i, bulliẽtibus admiſceatur, nec prius, quàm tertia pars cõſumpta ſit, ab igne remoueãtur. Exprime tandem colaturam per pannum lineum, & in vitreo uaſe diligenter aſſerua. Hæc aqua, quæ ruborem unà cum albedine inducit cum modico lanę, ſemel ſaltem ſingulo octiduo vultui adhiberi debet.

Si & ruborem pariter inducere velis, ſume aquam vitæ ad libitum, in quâ ſantali rubri, per integram horam lento igne bullierint. Cola, & de colatura laua vultum.

QVIA INTER hæc venuſtantia, vſus talci iam omnium cenſurà primatum obtinuit, præparationes illius ideo nonnullas, tam aquæ quàm olei, quas ab expertiſſimis viris deſumpſi, ingenuè tibi hic, & liberaliter adſcribam.

AQVA TALCI

Accipe talci lucentis, & in folia diuiſi quantùm lubet, & in hunc modum calcina. Sumatur ſulphur optimum, & puriſſimum; teratur; vnàque cum æquali parte talci, ſtrato ſuper ſtrato in tigillum apponatur Hic vero ſit bene

S clauſus,

clauſus, ac forti luto obductus, medietatem ſaltem illius occupante talco; atque ſic ad cimentationis ignem è carbonibus extructum per horas iiii, admoueatur. Teratur iſthinc quàm ſubtiliſſimè; atque vt eliciatur ab eo ſalſedo omnis, cum aquâ communi calidâ lauetur, indeque ad ignem denuo admoueatur, donec penitus exſiccatum uideas. Exſiccati huius, atque in eum modum præparati ſume libram i, ſalis armoniaci ℥ ii. Tere ſimul, & pone ad humidum in vaſe vitreo, donec in aquam reſoluantur. Cola tandem has aquas, ſeu per inclinationem paulatim affunde. Fiet ut primò fluat aqua ſalis armoniaci; alterâ talci in fundo vaſis remanente. Serua in vitreo vaſe mundo, & vtere.

Aqua talci alterius præparationis.

Accipe talcum calcinatum iuxta ſuperiorem deſcriptionem; Indeque habeto limaces in ſufficienti quantitate, quas in capſulam, ſeu pixidem rore marino plenam, vel circiter repone; vt eò melius repurgentur. Iſthinc præfatum talcum ſubtiliter tritum, cum dictis limacibus in alteram pixidem occlude; atque tandiu ſtare permitte, donec integrũ talci puluerem hæc animalia comederint, quæ tunc in mortario lapideo tere, ac demum lento igne diſtilla, repeteque diſtillationem abſque fecibus, habebiſque liquorem æquè ac talci pretioſum: cuius vſus eſt, ut primò aquâ communi, deinde iſthac, cum lineo panno lauetur vultus, paulatim exſiccatus, ac denique aliquantùm confricatus.

Aquæ talci tertia præparatio

℞ talci

℞ talci optimi, & ſalis nitri ana lib. i. Reduc in puluerem tenuiſſimum, & ſtrato ſuper ſtrato in tigillum clauſum luto obductum appone, indeque ad fortiſſimum ignem carbonum, infrá, ſupraque extructum, per horas ad minimum decem: quę ſi perfectæ calcinationi haud ſuffeciſſe videbuntur, addito nouo ſale nitro in illum ea modum repetatur. Iſthinc talci huius calcinati, & ſalis armoniaci multùm ſimul contritorum, atque commixtorũ, æquales partes in vaſe ſublimatorio colloca, & ſecundum artem ſublima, necnon ſublimationem ad feces reduc. Sublima iterum, hocque ad quartam vicem repete, poſteaque laua aquâ communi diſtillatâ calidâ, dum ſal abſcedat, tandiuque ablue, donec inſtar calcis habeas. Exſicca adhuc, & in vaſe vitreo ad humidum per decem dies appone: poſtremòque per alembicum diſtilla, ac ℥ iii aquę ad quinq; lib. ſtillabũt. Si huius feces de nouo ad humidũ reducas, nouam & aquam, quę margaritas quaſuis ſummè dealbet, habiturus es, ſi noctu prȩſertim in vas vitreum cum hac illę ſic adaptentur, ut fundum non attingant, interdiu verò laminæ argenteę cum oleo lini ad Solem apponantur.

OLEVM TALCI

Sumè talcum ut ſupra calcinatum, ac toties aquâ communi diſtillatâ ablue, donec ſalſedo omnis abeat. Hunc cum aquis roſarum, ſcabioſę, & plantaginis commixtum in vas oblongi colli, ſigillo Hermetis reſeratum, ad fimum equinum per dies xv appone. Hoc ſi feceris, ac prȩfati vaſis collum reſecaris, oleum, aquę ſupernatans paulũ declinando recipies, iterumque ſimiliter, ſi aquam

denuo fecibus ſuperaddas, in fimũ adhibeas, ac ut ſuprà operèris.

Altera præparatio olei Talci.

Sume talcum Hiſpanicum viridem, & in folia diuide, huicq́, argenti puri laminas tenuiſſimas ſtrato ſuprá ſtrato in tigillo appone, ſineque ad furnum reuerberii per diem, & noctem calcinari. Inde ad quamlibet illius lib. aquę limpidę calidę amphoram vnam immitte, vnàque ualidè moue, dum talcus diſſoluatur. Extrahe tunc per filtrum aquam, & remanentes feces aquâ vitę, vel ſucco limonum per noctem imbibe: tumque extractam illam cum altero liquore, talco ſuperpoſito ad lentam ebullitionem admoue, dum plane conſumantur. Inde lentiſſimum ignem extrue, ut ſal talci minimè comburatur: dumque bene exſiccatum videris, pone ad lapidem marmoreũ in loco humido; quò illud in oleum verum, & genuinum reducatur; vel ſi mauis (quód & malim ego) adhibe in albumina ouorum duriter coctorum, extractis uitellis aeri appenſa: quibus vitreum vas recipiendo liquori ſupponatur.

Tertia præparatio olei talci

Quidam inſignis practicus huius extractionem in hunc modum ſed breuiter mihi aperuit. Sumit verum, non telaſpum, ex eoque limaturam primò conficit, eò quod per contritiones validas multûm de ſpiritibus exhalare cenſeat, ac vnà cum argenti repurgatiſſimi ℥ vnius ſimul commixtæ limaturá, abſque alterá calcinatione, uel magiſterio, ad violentam diſtillationem adhibet: aquam primò,

primò, deinde oleum eliciens. Quæ ſi denuo vel etiam pluries ad feces reducantur, fermententur, putreſcant, ac denuo diſtillentur, eò perfectior operatio euadet.

Quartus oleum ex talco extrahendi modus.

Sequens operatio inſignis Cæſarei diſtillatoris peculiaris fuit. Sumatur talcus viridis, optimus, in folia diuiſus iſque in ſcatulâ ferreâ copertâ, fortique luto obductâ ad fornacem vitriariorum per horas xxiiii adhibeatur, dum calcinetur. Refrigeratus ſuper lapide marmoreo aliquantùm calido aſſiduè teratur, trituſque in acetum forte diſtillatum ab igne reuerberii candens appoſito vitreo vaſe vel argenteo proiiciatur. Aceti verò quantitas triplo maior ſit, eaque rubificatio, iniectio, declinatioque, ſi fieri poteſt multoties, ſed in aceto nouo repetatur, in quo tandem & xxiiii, horis tepidè ſtet; ac denique ad Solem, vel cineres lentè exſiccetur, vt ſalificatum remaneat. Hoc aquâ pluuiali tunc diſſolue, & congela bis aut ter, ac tandẽ ad humidum appone, donec in oleum reſoluatur. Vltimò in ſpiritum vini per dies aliquot balneo circulandum admoue, ac vtrumque balneo ſepara.

Vltima ſed inſignis præparatio olei talci.

Eligatur optimum, in folia diuidatur, aut in limaturam redigatur; & cum optimo ſpiritu vini in vaſe vitreo vel vitreato, ita clauſo ut nil reſpiret, igni carbonum rotulari per mediam circiter horam calcinandum apponatur, eximatur, ac teratur de nouo &c: eaque vſque ad quartã,

vel quintam operatio repetatur:ni forte lenta,& per quinque ad minimum horas huius cum dicto vini ſpiritu ebulitio magis arrideret; cuius calcinationis modum, cæteris omnibus præualere, huius arcani author mihi teſtatus eſt.

Calcinatus in eum modum, ponatur hic in acetum diſtillatum, radicale, alkalizatum, in vaſe vitreo capaci, clauſo, ad cineres tepidos, per diem, & noctem aſſiduè motum, atque paulatim declinando remoueatur, & ſeorſim aſſeruetur, Inde, aliud in hunc modum ſuperpone toties, donec integrum talci corpus diſſolutum videas, & nihil de illius ſubſtantiâ remaneat : ac ſi quid fortè non diſſolutum remaneret, iterum ut ſupra calcinetur, & ſuperiore modo in acetum immittatur.

Diſſoluto iſthoc in eum modum corpore, balneo, aut alio phyſico modo euaporetur ille aceti liquor; ut ſaltem dicti talci calx, ſeu ſal remaneat: quod exſicca primo lentè, poſteaque validius, quò album tandem habere poſſis.

Denique hoc in duplum alterius aceti eiuſdem qualitatis, & eo adhuc quo ſuprà modo impone, aliquantumque fermentari permitte, atque tandem diſtilla, prout ſolet aqua fortis. Fiet ut totus talcus, cum toto aceto aſcendat. Vltimòq; diſtillatũ hunc liquorẽ balneo maris rectifica: quo & fiet etiam, vt aceto ſuauiter extracto, remaneat oleum in fundo vrinalis : quod ſi forte congelatum; in vitreum vas orificii latioris, vel etiam in ouorum duriter coctorum albumina, aeri appenſa ad humidũ hoc reſolue.

Cæterum quia hoc mirè famoſum, ac energiæ tantæ prædicatur, vt Ethiopem non dealbare modò, ſed & homini ſeni iuuenilem formam inducere validum ſit,

ideo

ideo copioſius in huius deſcriptione commoratus ſum.

Oleum de vnionibus, ſiue margaritis.

Oleum de vnionibus ad venuſtandum corpus humanum mirum in modũ excellit; cuius deſcriptionem hic ideo in hunc modum inſeram.

℞ margaritarum orientalium, paruarum, ſed pellucidarum ℥ i, aceti albi recens diſtillati, alkalizati lib. i. Margaritæ multùm tritæ, cum aceto, in vitreo vaſe clauſo, ad lentum calorem per dies v fermententur. Inde acetũ, per pannum lineũ, valde tenue, fecibus abiectis coletur, atque in patinam vitream ad radios ſolares tandiu ſtare permittatur, donec penitus euaporatũ ſit. Fiet, vt in præfatæ patinæ fundo, dictarum margaritarum pulcherrimũ, & lucidiſſimum ſal ſis reperturus. Hoc exſiccatum tere ſuper marmor, ac uti ſuperius talci ſal, ita & iſtud pariter in dura ouorum albumina, ad locum humidum, in oleum reſolue. Aſſerua in vitreo vaſe ſtrictè occluſo; ad aerem nocturnum aliquantiſper appoſito; quo, pariter ac talci, vtere.

Præter aquas, vnguenta, & linimenta fiunt, quæ pellem vultus humani, etſi ſenilem, & corrugatam apprimè decorant: qualia ſunt eiuſmodi.

Linimentum primum.

ACcipe mellis albiſſimi ℥ xii, ſublimati optimi ℥ ß. Hoc per horæ integræ ſpatium tere, & melli adhibe, binaque ouorum albumina, vná cum boracis triti

℥ i, ad-

℥ i, adde, atque ſpatulâ ligneâ per ſeſquihoram, aut amplius aſſidue moue, dum linimentum plane confectum habeas: cuius vſus eſt, vt aliquantulum vini albi ore ſumas, & particulæ telæ lineæ, quadruplicatæ affundas, iſthincque aliquid de melle ſuperius preparato illi ſuperponas, quo liniatur vultus, & quilibet dealbandus locus, exceptis oculis, á quibus diligenter caueto. Inde poſt eiuſmodi vnctionem, alteram particulam lineam, ſed in vinum album duntaxat madefactam habe, quà (ne ſuperius vnguentum validius penetret) vultus abluatur; & alteram item, ſed è ſerico, quâ leniter confricetur: mirum iſtius linimenti (quod matutinis horis applicari debet) effectum experturus, ſi ſequentis alterius liquoris vſum veſpertino tempore & adhibeas.

℞ quatuor ſeminum frigidorum ana ℥ iiii. Emundentur primò; hoc eſt, ſuperiori pelle, ſeu cortice denudentur; atque in mortario lapideo, piſtello ligneo aſſiduè terantur: quibus adde lactis caprini paulatim infuſi quantùm ſufficit; & hæc cum diſſolutâ, & linteo fortiter expreſſa habe. His & adde ſacchari candidi in puluerem tenuiſſimum redacti ℥ vi, boracis calcinati ℥ i, porcellanarum tritarum ℥ ii, ouorum recentium albumina xviii, limaturæ talci ℥ xii, cinamomi electi in puluerem redacti ℥ ii. Omnibus tritis, & piſtello ligneo quantùm ſufficit agitatis, atque in vas terreum nouum, vitreatum infuſis, extruatur ignis digeſtionis per triduum: indeque fiat diſtillatio balneo maris ſecundum artem. Serua aquam in vitreo vaſe, & vtere prout dictum eſt.

Linimentnm ſecundum

℞ mercurii

℞ Mercurii vulgaris lib. iiii, vitrioli Romani lib. S, aluminis communis ℥ vi, ſaluiæ manip. i. Omnia bene contundantur, & ſimul terantur donec Mercurius inter hæc euaneſcat: quæ ſeruatis ignis gradibus in vaſe apto, ſublima, donec præfatus Mercurius ſummitati vaſis adhęrens, ſurſum aſcenderit, & partem vaſis ſuperiorem infrigidatam ſentias. Sed aduerte fumis Mercurialibus, commeatum per tenue foramē, in ſuperiori parte, à principio præbeas; ac illud poſtmodum, accedente videlicet ſublimatione occludas: quæ ſi pluries, imo & ad decimam vſque vicem repetatur, eò & perfectior, & quæſitæ huic operationi aptior. Huius ſublimati vſus eſt, ut cum eo miſceatur ℥ i argenti puriſſimi in aquâ forti diſſoluti; & ex horum tantillo cum aquâ floris fabarum mixto, ac diſſoluto, veſperi in decubitu dealbandus locus liniatur: matutino verò tempore pannulo lineo mundo diligenter confricetur.

Linimentum tertium.

Linimenti huius confectio breuis, & nullius ferè negotii eſt. Sume ex oue hœdiná, ſeu caſtrato plura oſſa à carne ſeparata; quæ multùm conquaſſentur, & contundantur; ac tandiu bulliant in aquâ communi, donec ſupernatans pinguedo appareat: quá pro linimento utere ſi vis decorari: & ſi facilius aliud expetas, laua ſæpius vultum, & manus aquâ, in quâ radix, & folia vrticis bullierint.

Linimentum quartum odoriferum.

Sume adipem porcinum, recentem; & hunc in vaſe

vitreato nouo liquefac ad lentum ignem, atque per pannum lineum exprime, expreſſumque in aliud denuo vas unà cum v, aut vi, aquæ roſarum odoriferæ lib. impone. Ad quamlibet verò pinguedinis huius libram ℥ i, olei cariofilorum adde, omniaque aſſiduè moue, tere, & diſſolue, dum inſtar lactis linimentum albiſſimum appareat, quod ab aduſtione Solis, ab aeris, & ventorum iniuriâ, à frigore item manus, & vultum apprimè preſeruat.

Linimentum quintum ſeu pomata.

Accipe poma Appia vulgo paradiſi numero xxxx. Mundentur apprimè, ac vnoquoq; in quatuor partes diſſecto, vnicuique parti cariofilus unus interſeratur. Stentque ſic preparata, in aquam roſarum per octiduum infuſa. Iſthinc ſumito, axungiæ porci maſculi, recentis, & multùm depuratæ quantùm ſufficit, ac vnà cum præfatis pomis, & aquà roſaceà aſſiduè tere, & ad lentum ignem bulliendà admoue, donec benè miſceantur, & diſſoluantur. Exprime tandem per pannum lineum; & colaturæ denuo in mortarium appoſitæ, aliquid olei amigdalarum dulcium cum tantillo camphoræ adde.

Linimentum ſextum, & poſtremum.

Accipe pinguedinis porci rubri ℥ iii, camphoræ ℥ S, & ceræ albæ ℥ v, moſci, Zibetti, ambræ ana carattos ii. Diuide primò pinguedinem in minutas partes, & ad lentum ignem vaſi nouo appoſitam coque, & liquefac: inde in aquam roſarum proiice, tumque camphoram tritam, unà cum cerà liquefactà his adde; ſed aſſiduà, & frequenti commixtione, dum omnia benè diſſoluantur, & incorporentur.

corporentur. Sub finem verò, adde moſcum zibettum & ambram. Hoc linimentum mirum in modum manuum, & labiorum crepaturis prȩualet.

Ad albedinem manibus prȩſertim inducendam, fiunt & varii generis ſapones haud à propoſito alieni: è quibus paucos ſaltem hic deſcribam.

SAPO NIGER ODORIFERVS.

SVme belzuini, ſtoracis liquidi ana ℥ i, S, ſtoracis calamitæ ℥ iii, roſarum exſiccatarum ℥ i. Miſce in mortario calido, & tere cum aquá roſarum, donec diſſoluantur; hiſque adde ſaponis optimi quem reperire poſſis lib. viii, pulueris carioſ. ℥ ii, macis ℥ S, olei ſpici ℥ S, olei belzuini ʒ iii. Tere; & incorpora; formaque globulos ad placitum.

Sapo ſummè venuſtans, & odoriferus.

℞ ſaponis albi puriſſimi lib. iii, foliorum lauri, belzuini ana ℥ S. Laudani, corticis limonum vel cedri, cinamomi, carioſ. ireos, ſtoracis calamitæ, macis ana ℥ S, olei ſpici ʒ S, moſci, zibetti & ambræ ana carattos iii. Saponem minutim diſſeca, & ad Solem per dies aliquot appone, indeque reliqua in puluerem tenuiſſimum reducta in mortario æneo cum aquà roſarũ quantùm ſatis præfato saponi inice: aſſiduè miſcendo, terendo, & incorporando dum paſta fiat, ex quà formentur globuli, ut ſupra: qui vultui, & manibus abluendis inſeruiant.

Sapo qui Italis balle del melone, plurimùm famoſus.

℞ ſaponis albiſſimi, exſiccati, & in puluerem redacti lib. viii, ſantali albi ℥ iii, cariof. ℥ iii, ireos orient. ℥ iii, laudani, & ſtoracis calamitæ ana ℥ iii, ſtoracis liquidi ℥ S, moſci fini ʒ i, ſumatur ante omnia laudanum in particulas diſſectum; quod aliquantùm calidum, & fuſum teratur in mortario cum ſtorace calamitâ; Ita ut bene incorporētur, atque vniantur: quibus & reliqui poſtea pulueres paulatim iniiciantur: ut fiat paſta, formandis ut ſuprà globulis apta Aduerte uerò; præfatum ſaponem cum aquâ lauandæ, & ſpici diſtemperes, inque decem huius præparationis lib. ℥ i, belzuini apponas: moſcum vera ſaltem ſub finem addas.

Inter decentes humani corporis partes, cum dentes connumerentur, ideo quæ ad retinendam illorum munditiem ſpectant, pauca hic apponam,

Dentes dealbantur aut crebrâ frictione olei ſulphuris per campanam extracti, aut pulueris panis è farinâ ſegalæ confecti & multùm exſiccati, aut etiam ſucci limonum, pulueris corallorum rubrorum, & ſimilibus.

Dentes & ſummè dealbantur, ac mundificantur ſequentis aquæ frictione, & ablutione.

℞ aquæ roſarum lib. i, ſalis armon. aluminis communis, ana ℥ ii, maſticis ℥ S. Tere quæ teri poſſunt, infundeque

deque in dictam aquam per horas xxiiii. Diſtilla poſtmodum ſecundum artem, & ſtillatum ſerua: cuius vſus eſt, ut primó cultello, vel ferro dentes craſſiori rubigine expurges, & iſthac poſtmodum aquâ frequenter abluas.

Valet & ad dealbationem dentium aqua fortis, quæ iam in uſum adhibita ſit ideſt quæ metallis diſſoluendis, uel potius calcinandis inſeruierit, cum aquà uitæ commixta, & dentibus appoſita.

De capillorum decoramento.

Capillos, ſi ſæpius lacte canino vngantur, non ita cito caneſcere iamdudum experientia docuit. Quod ſi verò citius, & ante tempus albeſcant, ſequenti linimento ſubcrocei, & quodammodo nigreſcentes euadent: quod quidem nonmodò non officiet, ſed & capitis confortationi ſummè proderit.

℞ calcis viuæ recentis, necdum in puluerem redactæ lib. i, litargirii auri uel argenti, & plumbi bene aduſti ana ℥ i. Diſſoluatur primo calx in aquam fontis, & huic poſtmodum litargirium, vnà cum plumbo ſed ſubtiliſſime trita admiſceantur, & bene incorporentur, ut fiat linimentũ, ſat liquidum, quod utere in decubitu, lotis primùm aquâ communi capillis, iiſque denuo poſt eiuſmodi videlicet linimenti applicationem leni lixiuio ablutis. At linteo obuolue caput; & ſequenti mane puluerem iſtius linimenti ſiccum diligenter è capillis excute, qui ſi non ſat coloris percepiſſe videantur, ad ternam vſque vicem repeti linimentum poterit.

Capilli cani ut nigreſcant.

℞ gallam ponderoſam, haud perforatam, & in oleo communi decoque, dum tumidam & inflatam videas. Exſicca ſubinde inter bina lintea, compreſſione, & confrictione validâ ita ut in puluerem ſubtiliſſimum ea reducatur. Hinc habeto cortices nucũ iuglandium, quos miſce cum dicto puluere, & aquà pluuiali, ac decoque, vſque ad trium partiũ conſumptionem. Hoc liquore unge barbam, & capillos; qui ex ſe, & abſque aliâ abſterſione exſiccentur, ac demum aquâ calidâ ablue.

Lixiuium pro tingendis mulierum capillis.

Accipe ollam ad latus, non procul à fundo perforatam: cuius foramen dum adaptato ligno clauſeris, fac in eâ ſtratum de ſtramine ordei primò, deinde aliud ex cinere ligni uitis, tertium & adhuc de ſtramine ordei, ſequens de cinere prædicto, quintum de calce uiuà, & poſt hanc, de ſuperiori ſtramine. & ſic deinceps, dum hæc ad medietatem vſque in ollá contineantur. Ea & lixiuio cõmuni repleatur, ac per biduum ita ſtet: quo per foramen, quod ab initio feciſti, tandem emanante, utere ad capillorum ablutionem, poſtquam communi altero cum ſpongiâ eoſdẽ laueris. Fiat verò calcis ſtratum quam cæterorum minus.

Capilli mulierum ſummè item decorantur in hunc modum.

℞ olei papaueris, & fellis bouis ana partem vnam. Inde ſume paululum vini albi limpidi, cum prædictis mixti; quo liquore capilli ſæpius madefiant: poſtquam aquâ communi, uel etiam ordinario lixiuio abluti fuerint.

Ad

Ad idem. Accipe radicis hederæ, foliorum trifolii, radicis petroſilii, vná cum foliis ana partes æquales. Bulliant in uaſe nouo, cum melle, & aceto, donec in ſpiſſitudinem tranſeat decoctio. Cola, & poſtquã ordinario modo caput ablueris, de colaturâ vnge capillos.

Vel ſume herbam, quæ vocatur cina, ſeu chena, ex oriente aduecta, quam pharmacopei venalem habent: ex cuius manipulo vno para lixiuium, prout communiter fit; & ex hoc laua caput.

Ad ſummum capillorum decoramentum,

Vt planè aurei coloris fiant. Accipe lib. ii, aluminis feciæ, & has cum aquâ communi diſtempera, quæ per dies duos in vaſe ſic remaneat. Inde ſume ampullam; & in hanc iſtius aquæ immitte quantûm lubet, cum ſapone minutim ſciſſo, & ad Solem multùm exſiccato. Concute, & aſſiduè moue dictam aquam, donec præfatum ſaponem bene mixtum ac diſſolutum videas. Vtere huius liquoris vnctione cũ ſpongiâ ad Solem; eâque frequenter; quia eo magis tincti, & aurei capilli efficientur.

Pili ut citiſſimè creſcant, & naſcantur,

Accipe olei amigdalarum dulcium, & mirthi ana ℥ i, corticum radicis arundinum vſtarum, capillorum veneris vſtorum, politrici uſti ana ʒ ii, capitum muſcarum vſtarũ ʒ ii, apum contritarum in ſuis vacuitatibus ʒ ii, laudani ʒ ii, mellis ℥ i. Puluerizentur omnia, & cum modico ceræ fiat linimentum.

Pili ne cadant.

Sume

Sume ſemen lini aduſtum, & miſce cum oleo oliuarum; ex quo vngatur caput, uel locus, & poſt abluatur aquâ, ſeu lixiuio confecto ex ſemine lini.

Pili ut excidant, poſtmodum renaſcentes.

Sume auripigmenti, calcis viuæ ana ℥ i, caliginis furni ℥ i, aceti fortis amphoras ii. Reduc omnia in puluerem; qui in vaſe terreo cum aceto mixta bulliat in tantùm, ut ſi in eiuſmodi liquorem pennam gallinæ, aut alterius animalis immittas, quæ depiletur, tum amoue ab igne; & ex refrigerato vnge quem volueris locum, qui capillis deciſis (prout illico fiet) aquâ frigidâ abluatur. At experire prius in non periculoſo, verbi gratiâ manu: ac ſi nimis validum, aliquid amplius aceti adde.

Pili ut excidant, haud amplius renaſcentes.

℞ auri pigmenti, ouorum formicarum, gummi Arabici, ana ℥ S, gummi hederæ ℥ ii. Cum ſanguine veſpertilionis, vel cum ſucco iuſquiami fiat vnguentum ſecundũ artem; quod applicetur abraſis primò capillis. Aliqui addunt ſanguinem teſtudinis, & cinerem caulium cũ aceto.

Valet & lixiuium ex puluere ſanguiſugarum, cum axungiâ, ſi liniatur pars. Item lac caninum, excrementis ſeu ſordibus quæ in auriculis generantur commixtum.

DE VARIIS SVAVITER ODORANTIVM CONfectionibus,

ANNOTATIONES. PARS huius operis IIII.

Aquæ roſarum optimæ præparatio.

SVme roſarum mundarum lib. iiii, granorum paradiſi ℥ v, nucis moſcatæ ℥ i, cariof. ʒ i Miſce, & manibus moue, necnon aquæ uitæ ℥ vi, in vaſe uitreo clauſo hiſce affunde. Stet per triduum illud in loco temperato: indeque in fimo equino per dies uiginti, ſed Hermeticâ clauſurâ. Diſtilletur tandē hic liquor cū aromatibus per balneū & extremitati capelli, quæ recipiens attinget, aliquid moſci, & camphoræ pannulo lineo alligatum apponatur.

Vel ſume roſas rubras, & multùm odorantes, ac hiſce aquam roſarū optimam affunde, additiſque cariofilis, croco, & camphorá quantùm ſufficit, diſtilla pariter, ac moſcum appone.

Hoc autem naturale, & genuinum dignoſcitur, dū pauxillum illius ad carboees ignitos adhibueris, quod in oleum reducatur, & in fumum abeat: necnon aliquid inſtar telæ araneæ ſuperſit. Alias, ſi id non ſuccedat, & inſtar calcis, craſſum aliquid remaneat, haud genuinum eſſe tibi certo perſuade.

At ſi aquam roſarum ſummè perfectam expetas. Accipe roſas rubras exfoliatas, quæ in linteo mundo diſtendantur

dantur, & altero ſuperpoſito coperiantur ad vmbrā donec paulum exſiccatæ ſint. Iſthinc appone, in uas uitreum ad hoc aptatum, admodum compreſſas, & clauſas, ut nullatenus reſpirent, idque per integrā æſtatem ad radios Solares, ac circa autumnum balneo diſtilla, necnon moſci & ambræ aliquid ut ſupra diſtillato appone. Hæc aqua, ſi denuo ad Solem, vel fimū clauſurà Hermeticà adhibeatur eo præſtantior erit.

Aqua odorifera moſchiata.

Accipe moſci, & ambræ ana quantùm volueris cariof. galangæ, ſpicæ nardi, gran. parad. macis, cinamomi ana ℥ i. Storacis calamitæ, belzuini, corticis citronum ana ℥ i. Terenda puluerizentur, & pulucrizata pauxillo aquæ roſarum aſpergantur, ad cineres tepidos, aliquantiſper appoſita. Hæc infuſio tandem balneo maris diſtilletur ſecundum artem. Serua aquam uti prætioſam.

Alia aqua odorifera, quæ fit per ebulitionem.

Sume libram i, aquæ roſarum, & vini albi lib. S, quas appone in uas terreū nouum, & vitreatum; atque in hoc poſtmodum ſtoracis calām ℥ i. belzuini pauxillū, laudani. Ireos, & cariofil. tritorum quantùm ſatis; inſuper & binos limones minutim ſectos. Bulliant vſque ad conſumptionē medietatis Cola, & ſerua.

Aqua ſummè odorifera, per diſtillationem.

Sume roſas rubras in ſufficienti quantitate, & exfoliatas, cum floribus lauandæ, maioranæ. ſerpilii, & malorum

lorum aureorũ, quantas ex his habere potes miſce: mixtaque ſimul omnia in uas vitreum cũ infra ſcriptis pulueribus ſtrato ſuper ſtrato admoue videlicet carioſ. ℥ iiii, nucis moſcatæ ℥ iii, nigellæ citrinæ ℥ iiii, plus, aut minus iuxta quantitatem roſarum, & florum; omniaque ſimul tere, ac tritis & in uas vitreũ appoſitis affunde aquæ uitæ optimæ lib. ii, vini maluatici, aut alterius generoſi lib. item ii, vaſque ita occlude, ut nil reſpiret. Hoc ad ſolis æſtũ per quatuor uel quinque dies inde admoueatur, ac balneo lentiſſimo diſtilletur: moſco, & ambrà diſtillato appoſitis: vltimòque liquor emanans per menſem integrum ad Solem rectificetur.

Aqua mirrhæ.

Mirrha pura, & electa, recens, & pinguis, in particulas diſſecta, ad quam volueris doſim, ſeu verbi gratiá lib. i, in alembico per cineres ſecundum artem diſtillata, aquam primùm, deinde oleum emittit: quorum liquorum, ſed præſertim olei, particula una, multas, ac mille prope alterius aquæ communis partes cum quibus ea commiſceatur ſummè odorantes præſtat.

Aqua odorans potentiſſima, cuius particula plurimas alterius aquæ communis odoratiſſimas præbet.

Accipe moſci, & ambræ ana quantùm volueris: at quò plus, eò & melius negotium ſuccedet, aquæ vitæ optimæ ℥ i. Adhibe primò moſcum, & ambram in particulam pañi linei mundi, eamque in uaſe vitreo ſic adapta, ut eiuſmodi pañus, filo alligatus, & in uaſe appenſus, huius

fundum non attingat. Vas verò ſtrictiſſimè clauſum, ad cineres lentos, per dies tres appone; ac diligenter aduerte annon ſacculus ille in aquà præfatâ marceſcat, eo etenim caſu, ſtatim mutandus eſt, alterq; in illius locũ cum nouo moſco, & ambrà illicò adhibendus. Quò peracto ſerua aquam ad præfatum vſum.

Aqua pro ſuffumigio.

℞ aquæ uitæ optimæ ad libitum. belzuini, roſarum rubrarum, ſtoracis calam, moſci camph. ligni aloes quantùm ſatis. Omnia hæc, bene trita, in vas vitreum Hermeticè clauſum, ſub terrà cum dicto liquore & pulueribus aliquantiſper appoſitum, balneo diſtilla, dumque iſthoc uti volueris, adhibe paululum ſaltem in vaſculũ, ad hoc aptatum, ad cineres calidos, cum aquá roſarum communi.

Aqua vulgo angelica.

Accipe aquæ optimæ lib. iiii, ſacchari candidi, maccalepi. belzuini ana ℥ iiii, cariofilorum, cinamomi, lauandæ ſtoracis calamitæ ℥ viii. Terenda leuiter puluerizentur, aut ſaltem conquaſſētur, & poſtmodum ad eum modum, quo aquæ ſuperiores, diſtillentur: ſubſequente ad Solem, rectificatione.

Oleum iaſmini, belzuini, & ſtoracis calamitæ.

Oleum iaſmini fit ex eius floribus, in ampullam uitream ad doſim videlicet ℥ iiii, cum viii, olei communis optimi, per dies decem ad Solis æſtum appoſitis, ac tandē lentiſſimo igne per balneum diſtillatis.

Oleum

Oleum belzuini,

Fit ex floribus item illius tritis, & maceratis, aquà deinde communi calidiſſimà ſæpius aſperſis, & imbibitis, cũ quâ per cucurbitam ad cineres lentè diſtillentur.

Oleum ſtoracis calamitæ,

Fit ex pinguiori; in aquam vitæ optimam, per diem, & noctem infuſo, & in cucurbità iſthinc, ut ſuprá, diſtillato. Serua aquam primo emanantem; deinde aucto igne, oleo ſuperuenienti aliud recipiens admoue.

Oleum cedri, limonum, & malorum aureorum.

Accipe horum folia exſiccata, & inter bina linteamina contrita, cum cinamomi, belzuini ambræ, zibetti, moſci ſufficientibus partibus, appone ad calorem temperatũ in vas aquâ roſarum plenum, ita ut eâ infuſione dicta folia repleantur, & quaſi tumeſcant. Hinc ſumito alteram aquam roſaceam, in quam cariofilorum, galangæ, nuciſque moſcatæ partes æquales, per biduum infuſæ fuerint: indeque hanc, & ſuperiorem alteram, vnà cum præfatis aromatibus lento igne per cineres diſtilla, & emanabit primó aqua, quam ſeorſim aſſerua, deinde aucto calore oleum ſuauiſſimum: quod ſi ad Solem rectificaueris, eò perfectius quid efficies.

Oleum moſci.

Accipe olei amigdalarum dulcium lib. i, aquæ limonum amphor. S, cinam, cariofil. ana ℥ iiii, belzuini,

ſtoracis calamitæ, ligni aloes, laudani ℥ ii. Terantur hæc in mortario mundo; quibus moſci, & ambræ ana ʒ ii, poſtmodum addantur: fiatque omnium ſimul commixtorum diſtillatio per balneum maris, quà aquam primò, ac ſubinde oleum, igne adaucto, recepturus es.

Præfati moſci oleum, & in alterum hunc modum præparari poteſt. Accipe olei amigdalarum dulcium lib. i, aquæ limonum lib. ß, cinamomi, cariofilorum, belzuini, ſtoracis calamitæ, ligni aloes, laudani ana ℥ ii. Puluerizenda terantur; & in dictos liquores balneo maris infundantur, bulliantque vſque ad aquæ conſumptionem; oleo verò quod in fundo uaſis remanebit, addatur moſcum, & ambra ad libitum. Poteſt & hoc fieri cum amigdalis mundatis, & præparatis: prout ſuperius in remediis medicinalibus dictum eſt.

Suffumigium odoriferum.

Accipe lib. i carbonum ſalicis, qui in puluerem primò reducantur, ſtoracis calamitæ, laudani, ana ℥ i, ſtoracis liquidi, ſacchari ana ℥ iii, belzuini, ligni aloes ana ℥ i, timiami ℥ vi, ſalis nitri ℥ i, roſarum rubrarum, ℥ iii, cinamomi ℥ i, ſantali citrini ℥ iii. Terantur omnia ſubtiliſſimè, ac ferè impalpabiliter; & cum dicto ſtorace liquido incorporentur; tandemque cum gummâ dragante, in aquâ roſarum, vel aliâ quauis diſſolutâ, fiat paſta: ex quâ formetur quidlibet: quod uel accendi, uel ad carbones ignitos immitti poteſt.

Aliud ſuffumigium pro capſulis.

℞ laudani, ligni aloes ana ℥ i, moſci fini grana iii,

ambræ

ambræ griſeæ g. ii, belzuini, ſtoracis calamitæ ℥ ii, ſacchari fini ℥ iii, zibetti g. ii, cariof. ʒ iii. Terenda ſubtiliter tere, ac miſce in capſula repoſita, cui carbones igniti ſubtus admoueantur: aquam verò iſtis nampham, aut alteram odorantem affunde; nouamque denuo, prout exſiccabitur.

Paſta odorifera ex quà fieri ſolent catenæ, globuli, & alia id genus.

Sume gummam dragantem puram, & mundam, quæ diſſoluatur in aquâ roſarum, vel aliá quauis odoriferà, & admixtione carbonum ſalicis in puluerem tenuiſſimum reductorum, vel nigri communis aduſti, & calcinati denigretur: cui immitte paulatim infra ſcriptos pulueres, ſubtiliſſimè tritos: videlicet ad ſuperioris gummæ ℥ S, ſtoracis calamitæ, belzuini, ireos, ana ℥ i, cinamomi electi ℥ S, cariof. ʒ iii, nucis moſcatæ ʒ i, laudani ℥ S, cum modico moſci, ambræ, & zibetti. Terantur iterum hæc in mortario, cum præfatâ gummá, ſed validiſſimè: indeque manibus oleo amigdalarum dulcium linitis aſſiduè paſta contrectetur, donec ſubtiliſſima fiat: ex quà, forma quod lubet, & èxſiccari ſine ad vmbram.

Fit & alia ex ſequentibus pulueribus paſta ſummè odorans. ℞ laudani ℥ i, ſtorac. calamitæ ℥ S. ligni aloes, cariofilorum, roſarum ana ʒ i, thuris albi, mirrhæ, maioranæ ana ʒ i. Aromatibus piſtello calido diſſolutis, cum gummâ dragante, & carbonibus ſalicis fiat paſta, præparata uti ſuperius. Aliqui ſumũt olei amigdal. dulci. cinam, ana ℥ i, cariof, ligni aloes ℥ i, S, ſtoracis liquidi ℥ iii, belzuini ℥ i, ſtoracis calam ℥ i, ſpic, nardi ʒ iii, ſed hæ doſes haud mihi

mihi ſatis faciunt.

Paſta ſummè odorifera, ſanitati conducens.

℞ laudani puri ℥ii, ſtoracis calamitæ, nucis moſcatæ, cariofilorum, cinamomi, thuris ana ʒ ii, maſticis, macis, reſinæ, cubebarum, ſpici, ligni aloes, ſucci maioranæ ana ℥ i, macalep. roſarum, ſantali citrini, ana ʒ ii, ambræ griſeæ, & moſci ana caratti i. Formetur ut ſupra, cum gummâ dragante quod lubet.

Pulmaria odorifera.

Accipe roſas exfoliatas, & in linteo mundo diſtenſas ad auram, uel aerem, non ad Solem exſicca: poſteaque aquà roſarum, uel alia odoriferâ è belzuino potiſſimè aſperge, alteroque panno tege, ut ad vmbram exſiccentur: & hoc ter, vel quater etiam repete. Inde fiat puluis è belzuino, & ſtorace calamita, addito moſci tantillo. qui & in aquam odoriferam diſſoluatur, quâ præfatæ roſæ denuo aſpergantur: quibus ſacculos, aut puluinaria pro libitu, è lino tenniſſimo confecta reple.

PVLVERES ODORIFERI
Puluis Ciprius albus.

Accipe marmor album, in puluerem ſubtiliſſimè redactum, & in vaſe vitreo clauſo verbi gratiâ vrinali collocatum, aquâ roſarum, vel mirthi, vel limonum, vel alterâ ſummè odoriferâ ſæpius aſperge, & imbibe: indeque aquam illam ad digitos quatuor ſupra ſtantem, vnà cum

puluere,

puluere, balneo maris diſtilla; hocque ſæpius repete, donec id corpus non modò priſtino fætore expurgetur, ſed & odorem fragrantiſſimum acquiſierit. Id non tantum de marmore, ſed & de reliquis materialıbus duris, prȩſertimque de matre perlarum quam vocant, aptiſſimè fieri poteſt. Sed & huic pulueri in eum modum præparato moſci, & ambræ carat. v, aut vi, ſubtiliſſime tritos addi oportet. Qui quò antiquior, & melior, ſeu corpus ſolidum, præ reliquis odorem diutiſſimè ſeruans.

Puluis ciprius alterius præparationis.

Sume vſneam uel muſcum circa imum arboris nuris concretum, & quantum potes ſubtiliſſimè tere. Huius accipe ℥ iii, cinamom, cardamom, maccalepi, calami aromatici ana ℥ i, roſarum rubrarum, ligni aloes ſtoracis calamitæ ana ℥ i, belzuini ʒ iii, cariof. ʒ iiii. Omnia ſimul terantur, & incorporentur, aquâ roſarum odoriferâ aſperſa & exſiccata: idque ſæpius. Ad extremum puluis è moſoc, & ambrâ ad placitum addatur.

Puluis imperialis ſummè odoriferus.

Accipe roſarum ad vmbram exſiccatarum ℥ ii, laudani, cariofil, calami aromatici ana ℥ S, cinam. ℥ S, ſeminis ſpici ʒ i, ireos ʒ i, moſci, ambræ, & zibetti ana car. iii. Imbibe hæc, in puluerem tenuiſſimum redacta, aquâ roſarum aut alterâ odorante; poſteaque ad vmbram exſicca: quibus ad extremum, cum moſco, ambrà, & zibeto ſuffumigium exhibeatur. Conſerua puluerem in ſacculis ſericis, ad locum ſiccum.

Puluis è zibetto.

Accipe corticum ouorum ℥ ii, ſacchari fini ʒ i, zibetti carattos iiii. Lauentur optimè cortices, & ab adhęrente pelliculâ emundentur. Indeque in aquam roſarum moſchiatam per dies ad minimum decem apponantur. Exſicca poſtea, ac tere, in tantùm, ut per pannum lineum, aut ſericum, vná cum ſaccharo puluis pertranſeat. Hunc ita præparatum, in mortario æneo calido & denuo tere; præfatum zibettum paulatim immitendo; idque per horæ ſpatium ad minus.

Si ex ambrá, aut moſco puluerem expetas; in eundem modum præparare potes.

Commixtio ſiue linimentum, ſummè odoriferum.

Sume moſci, ambræ, & zibetti ana car i. Tere in marmore: ſed ambram ignis calore diſſolue; hiſque, ex oleis iaſmini, & citronum adde quàntùm ſufficit; iterumque tere. Hæc commixtio validiùs aget, ſi rem odore imbuendam aquâ nampha uel alterâ odorante primò aſpergas.

Fit & altera eiuſdem generis compoſitio in hunc modũ. Accipe ceræ albæ ℥ i, olei iaſmini ℥ iiii, ambræ & moſci ana car. vi, zibetti car. iii, farinæ amidi quantum ſatis. Bulliant hæc bene trita cum cerâ, & oleo; atque poſtea colentur. Colaturam prætioſam ſerua.

Tabellæ odoriferæ ſeu moſcardini ad eſum.

Sume farinæ amidi, & ſacchari ana ℥ ii, moſci fini ℈ i.

Reduc

Reduc in puluerem; & hunc mitte in gummam dragantem quam in aquá roſarum primo diſſolueris. Fiatque paſta, ex quâ tabellæ ad libitum formentur. Si rubeas velis, tantillum boli armeni adde, manibus oleo amigdalarum dulcium inunctis.

Modus præparandi pelles coriaceas, chyrotecas, & alia id genus, ſummè odorifera.

Sume chyrotecas iamdudum conſutas; eòquod vetuſtate primus ille fætor pellis euaneſcit. Sume inquam nõ vitulinas aut hædinas, ſed caprinas: quia recipiendis odoribus aptiores. Accipe item & adipem porcinam, ſed multum repurgatam, aut illius loco, aliquod è ſuperiùs deſcriptis linimentũ, vnà cum oleorum belzuini, & ſtoracis calamitæ, zibetti, moſci & ambræ ſufficientibus partibus. Lauentur primò chyrotecæ aquá roſarum moſchiatà; exſiccentur; indeque ad manum appoſitæ, ſuperiori adipe vel linimento calido in tantum liniantur, atque confricentur, ut penetret, ac præfatis tandem oleis, & aromatibus, cum modico ſtoracis calamitæ, & liliorum alborum interius, & exterius vngantur Si hanc, & ſuperiorem vnctionem exſiccatis aliquoties adhibeas, & oleum è floribus malorum aureorum, iaſmini, & ſpici ſuperaddas, eò perfectiores habebis.

Altera præparatio pro ſummis viris.

Elige chyrotecas prout ſuperius, eodemque modo, necnon inſuper aquà florum malorum aureorũ repetitis vicibus ablue, & exſicca; ſed non omnino, manûs verò li-

nimento è ſuperioribus aliquo, aut oleo amigdalarum dulcium, in quod aliquid moſci immiſcueris, inungantur: indeque oleis iaſmini, & florum malorũ aureorum ſimul commixtis, & in patinam vitream, vel alteram mundam appoſitis (quibus & tantum adhibeatur ambræ, quantum nux auellana capiat) eiuſmodi chyrotecæ validè liniantur, & interius ac exterius inungantur, idque pluries; dum videlicet exſiccatæ, & manibus acriter pertractatæ fuerint. Sed aduerte ambram haud teri poſſe, at ſaltem liquefieri. Liquefiat igitur cum oleo, ut diſſolui poſſit.

Eſt & alius eiuſmodi pelles odoriferas præparandi breuis quidem, ſed longè excellens modus. Sumantur moſci perfectiſſimi quod haberi poſſit ℈ iii, ambræ ℈ viii, zibetti ℈ ii, S, indeque chirotecæ, vel pelles uti ſuperius lotæ, hoc ſolo linimento ad ignem lentiſſimum præparato, abſque alterâ vllius olei admixtione vndequàque liniantur quia illius loco zibettum ſupplebit; aduerteque fore longè perfectiores, ſi illarum vſus ad trimeſtre, vel quadrimeſtre differatur. Conſeruentur in loco mundo, & clauſo.

QVARTVS MODVS huius pręparationis eſt, vt ſumas pelles eius qualitatis, quę pręcedentibus capitulis expreſſa eſt, & eas linimentis odoriferis primò inungas: poſt vnctionem verò aquá roſarum laues, & exſicces. Deinde in aquam optimam, quam habere poſſis, per duos dies integros immittas; ad vmbram poſtmodum, abſque ullâ expreſſione exſiccando. Iſthinc accipe pulueris cyprii ʒ ii, & tantillum pomatæ optimæ, olei cedri olei iaſmini ʒ S, cum pauxillo ſaltem olei belzuini: quibus car. ii, moſci addantur, ac omnibus optimè tritis, & ad lentum ignem

appoſitis,

appoſitis, fiat calida ab vtráque parte pellibus vnctio, quam & altera eiuſmodi ſequatur.

℞ pulueris cyprii, amb. ana ʒ S, belzuiniʒ i, cariof. nucis moſcatæ, cinamomi electi, ſtoracis calamitæ, ℈ ii, olei limonum ʒ i. Miſce cum modico olei iaſmini, in modum linimenti ſubtiliſſimi, quod adhibe eo modo quo dictum eſt; poſt primam videlicet alterius compoſiti vnctionem: idque ad ignis calorem, cum validâ frictione, ut penetret bis repete. Moſcum verò, ambra, & zibettum cum oleo de ben, vel iaſmini diſſoluta, ſaltem ſub finem addantur: fiatque exſiccatio ad vmbram.

Quidam practicus expers, pelles ſelectas, & manibus multum contritas lauat aliquoties cum aquis odoratis, & gummatis, ut ita loquar: indeque colorem adhibet, ſed clarum, repetitque: poſtea moſcum, & ambram, oleo ſeu gummis commixta, indeque alterum, aut tertium etiam linimentum odoriferũ, ac tandem ſuffumigium; ſubſequente poſtremò zibetti cum oleo amigdalarum dulcium vnctione.

Hactenus de odorantibus.

DE VARIIS MINERALIVM, ET METALLORVM præparationibus arcana ſelectiſſima.

QVamquam Chimicorum pertractatio & periculoſa, & hoc tempore ut plurimùm exoſa: quam incertum, & fallacem ſæpiſſimè exitum ſecũ trahere iamdudum nos experientia docuit, & ſummæ eruditionis viros nil in hac præter verba poſteritati relinquere, diuites verò quamplurimos in pauperiem redigi, niſi frequentiſſima eiuſmodi exempla quotidie habeamus: cum tamen artem à celebratiſſimis viris excoli, à Principibus, & Magnatibus haud abhorreri, à pleriſque verò doctioribus non improbari & aliundè videãus: ideo quæ poſt varias cũ diuerſi generis hominibus conſultationes, ac multiplicem reconditorum librorum lectionem, ad manûs in hac materiâ venère, ea necdum luce priuare, ſed & in gratiam eorũ qui ſimilibus oblectantur, ac ut meliores fortè à pleriſque operationes inſtituantur, vnà cum ſuperioribus, hic & etiã nòn apponere volui. Sed præparatoria quædam, & triuialia primo inſeram quæ ad ea quæ ſequentur, & alia maiora ſecurius iter parent.

TVRRIS ATHANOR ſeu furnus philoſophicus ordinarius.

Furnus rotundus, terræ tenacis optimæ, quatuor ad minimum

minimum digitis craſſus, ac tribus circiter pedibus altus conſtruatur, cuius imo fiat foramen, per quod ardens lucerna poſſit apponi. Id veró ſic fabricetur : vt lampadis huius rotundæ figuræ corpus illud obturet, ac ſuper furni fundo, ad medii pedis altitudinem lamina ferri adaptetur, quæ quatuor clauis ferreis, duobus digitis altis inhęreat, cruce ferreâ enixa, digito vno largâ, & in ipſum furni murum collocatâ. Sub laminâ verò tantillum ſpatium vndequaque ad furnum ſeſe protendat, ac è regione fiat feneſtra quæ aperiri & reſerari, & qualitatem caloris, admotæ manui demonſtrare poſſit. Super laminâ ponatur tripes, quatuor digitis altus, & largus quantûm ſufficit: qui vas terreum bene coctum, in quo ouum philoſophicum (quo medicina continetur) iuſtè capiat. Sit hic plane mobilis; illud verò cineribus mundiſſimis, ac puriſſimis eòuſque plenum, dum materiam in ouo contentam iuſtè attingant, ac duobus ad minimum ſub ouo digitis promineant: eiuſmodi uaſe terreo ferri laminam haud magnitudine uel latitudine ſuperante. Ab appoſito oui, fiant in dicto furno binæ feneſtrulæ, perquas materiam, colores, & cæteros operationis effectus uidere poſſis: Furnuſque ſit ita fabricatus, ut oui collum duobus ad mininum digitis excedat, cuius ſupremo fiat & rotundum coperculum: atque in hoc, bina, & trina etiam ſpiracula, fumis emittendis adaptata : quæ pro libitu aperiri, & reſerari poſſint: altitudine, & latitudine, dicti furni vaſis contenti proportioni reſpondente; niſi quod cum per partem ſuperiorem imponi illud debeat, maior aliquantùm ea, quò maius & aliud aliquando apponi poſſit, eſſe debet.

Fit

Fit & alius quoque furnus philoſophicus, ex humido & calido tali artificio conſtructus. Adhibentur carbones igniti ad craticulam ferream per orificium, quod in furni latere ad hoc expreſſè fabricatum eſt: quibus ad pedis vnius diſtantiam, caldare aquâ plenum ſuperapponitur, cuius vapor aliud ſuperius vas pluribus perforatum locis fimum equinum continens calefaciat, multo pondere, & menſurâ obſeruatis: cuius vſus, experientiâ, quàm ſcripto clarius innoteſcere poteſt.

Lutum ſapientiæ commune.

Accipe terram tenaciſſimam, bene exſiccatam, & tritam: & hanc miſce cum aquá, cui ſtercoris equini pars vná, cum cimis pileorum, vel pannorum reſectis, ac ferri fulgine, tenui, & mundâ adhibeatur: ac diu tere.

Lutum philoſophicis operationibus mage conueniens.

Accipe albumina ouorum, quæ tandiu percutantur donec ferè aquæa fiant. Accipe & farinæ communis repurgatiſſimæ ℥ i, boli armeni craſſioris, ſanguinis draconis, caſei ſicci abſque pelle ex ſingulis ad libitum. Terantur validè in mortario lapideo unà cũ prædictis albuminibus per linteum expreſsis: atque iſthinc habeantur particulæ telaceæ, quæ in hoc luto madefactæ vaſi admoueantur: quibus exſiccatis, & alterum ſequens ſuperponatur. Nempe argillæ ex quà fiunt vaſa fictilia dimidia pars, boliarmeni quarta, & calcis viuæ quarta item: è quibus, cum ſanguine bouis calido, & ouorum albumine poſtremum hoc lutum fiat, additâ ueteris lintei raſurâ ſeu ſciſ-

ſurà.

ſurà. Hoc & ad medietates vaſorum fractas, ad ſublimatoria, ac pleraque eiuſmodi, eo quo ſupra modo apponi cõſueuit. Sed aduerte, ſit alterum primum multò liquidius, & ante huius appoſitionem bene exſiccetur.

Lutum ordinarium vaſis recipientibus, capellis, & aliis eiuſmodi in diſtillationibus adhibendum.

Sume florem farinæ frumenti, & calcem viuam. Tere ſubtiliter; & impaſta cum albumine ouorum, dum volueris uti, & non prius; quia nimis dureſceret.

Lutum fortiſſimum quod fieri poſſit.

Accipe ſcutellæ terreæ partes duas, copularum antiquarum partem vnam, carbonis ordinarii item & vnam. Terantur ſubtiliſſimè, & cum capillis minutim ſciſſis, & pauxillo ſalis communis, ac oui albumine, vel aceto, fiat lutum.

Sed nota in cuiuslibet generis luto ſi nõ bene exſiccetur, & omni humiditate priuetur, periculum eſſe fractionis vaſis.

Nota & telæ uel carthæ loco, quæ cum luto ſolet apponi, multos particulas conficere ex ueſicâ porci, quæ haud ita poroſa.

Sigillum Hermetis.

Fit appoſitione vaſis vitrei, oblongi colli in vas terreum, cineribus ordinariis ad reſecandam vſque partem repletum; cui collo apponitur & coperculum aliquod medio foratũ, quod per illud immittitur, & cineres attingit.

Hinc carbones paulatim igniti adhibentur, & augetur gradatim ignis, donec præfatum collum vitreum in eâ parte liquefiat, tumque vel forcipibus, vel chirotecis craſſioribus tandiù circũvertitur, ut ex vaſe in hunc modum obturato nil reſpiret. Refrigeretur ex ſeipſo hoc, & abſque ullâ ignis amotione.

FILTRA.

Fiunt multifariam. Ordinarius modus eſt, ut ſumantur particulæ oblongæ panni albi mundiſſimi, in extremitate inferiori acutæ, & apponantur liquoribus depurandis, ad vas inferius appenſæ, cui ſi & alterã pariter admoueas, ac illi denuo recipiens, & ſimiliter ad quartum, aut quintum vſque progrediare, omnibus ita diſpoſitis ut liquor ab eminentiori uaſe per appoſita eiuſmodi alia ad imum vſque diſtillet, breui tempore ſummè depuratũ habiturus es. Aliqui, ſaltem ſpongiis, vaſorum collo adhibitis vtuntur, & eo pacto citiſſimè abſoluunt.

Nomina & ſigna Metalorum.

Sol	Luna	Venus	Mercurius	Mars	Iupiter	Saturnus.
☉	☽	♀	☿	♂	♃	♄
Aurum	Argentum	Cuprum	Arg. viuum	ferrum	ſtagnum	plumbum.

AQVÆ FORTES.

Aqua fortis ordinaria quæ ſeparationis nominatur, fit ex duabus partibus ſalis nitri, & parte vnâ aluminis: vtroque primùm, ſed leniter ad ignem calcinato, aut ſi non calcinetur, amoueatur primùm flegma in diſtillatione, & mutato recipiente, magno ignis calore per cucurbitam apprimè lutatam. & furno adaptatam aqua extrahatur. Nonnulli partem huic vitrioli Romani calcinati addunt.

AQVA

AQVA REGIA Huius extractio laborioſa eſt, ob nimiam videlicet ſalis armoniaci vim, quod ſuperioribus quartà ſaltem parte commiſceri debet: aqua verò ut debitè fiat bis diſtillari. Idquod minimè aptius fieri poſſe uideo, quam modicâ quantitate, in vaſe amplo opereris. Quidam ita conficiunt, ut ſaltem in recipiens, non in diſtillatorium, dum aqua fit, ſal armoniacum adhibeant. Alii diſtillant quidē in cucurbitâ capaciſſimâ per cineres; ſed ignem, ſtatim atque ſtillare aqua incipit amouent.

At in huius rectificatione, ſeù ſecundá diſtillatione, uti dixi, dum aquam ad feces reduxeris, macera aliquantū, nec te ad ternam vſque vicem & adhuc progredi tædeat.

Aqua fortiſſima quæ fieri poſſit.

Accipe viridis œris, auripigmenti, uitrioli Romani, calcis viuæ, tartari, ſalis nitri, ſalis armoniaci aluminis communis, ſalis Alkali, argenti viui ſublimati, partes æquales, & in vaſe ampliſſimo quod habere poſſis forti luto pluries obducto, & multùm exſiccato, necnon ſucco parietariæ aliquantùm imbuto, diſtilla lentiſſimo igne à principio, dum pars vaſis ſuperior, ſiue capellum, quod vocant rubeum fiat: tumque extractà primâ aquá, & ad partem aſſeruatà, muta recipiens, alteroque appoſito, ignem ad quartum vſque gradum tandem adauge. Serua & ſecundam hanc aquam ſeorſim, & in vaſe vitreo fortiſſimo quod habere poſſis, ſubtus rotundo, & abſque connexurá repone: quà haud fortiorem habere potes.

Acetum diſtillatum.

Huius vſus in chimicis operationibus frequentiſſimus eſt: cuius ideo, nec abs re pręparationem hic ſubijciam.

Accipe genuinum illud: melius &, fortius quod habere poſſis, quia operam alias perderes: diſtillaque in vrinali vitreo per cineres ad medietatem vſque; tumque amoto flegmate, & mutato recipiente perge in diſtillatione, vſque ad extremum liquorem qui emanabit, quia ille fortiſſimus; feces verò quæ in fundo vaſis nigræ remanebunt, dum ad lentum primò ignem exſiccatæ fuerint, calcinentur poſtea fortiore, quouſque albæ fiant: & in ſal reducantur, quod in aquâ pluuiali diſtillatâ diſſolue, filtrá, & euapora; illudque cum liquore ſuo diſtillato, quod in mutatum recipiens fluxit, maceratione, & digeſtione aliquâ præcedente, diſtilla; pergeque vſque ad tertiam diſtillationem, & non vltrà. Nonnulli acetum ſuper ſale gemmæ bene trito, proprij ſalis loco diſtillant, hocque & fortiſſimum eſt. Sed in ſecundâ, & tertiâ item diſtillatione, aliquid de flegmate demere memineris.

Salis cõmunis ordinaria præparatio.

Sume ſal ad libitum, illudque craſſum & lucens elige. Tere in vas terreum, bene coctum, haud vitreatum, & ad fortem ignem coquendũ adhibe. Claudatur illud ne reſpiret, ac tandiu coquatur, aſſiduá mixtione, & motione, donec haud amplius crepitet. Diſſolue, hoc peracto, in aquam communem diſtillatam; filtra, & euapora; necnon ad fortem denuo ignem (abſque fuſione tamen) decoque; dũ niſi ſpatulâ ligneâ illud attingas. Si hoc pluries repetieris, eò perfectius negotium ſuccedet.

Poteſt

Poteſt item ſal commune & præparari, ſi ſufficientem rafanorum quantitatem ſumas; & hanc cum ſale in aquã immittas, quæ poſtea filtretur, & euaporetur. At hæc operatio, meo iudicio melius ſuccedet, ſi præcedente alterâ fiat.

Alia præparatio ſalis communis exactiſſima.

Accipe ſalis communis ſubnigri, & craſſioris lib. xx; & hoc impone in vas terreum amplum, minimè plumbeatum cum aquâ pluuiali diſtillatà, in quam diſſoluatur, poſteaque filtretur, & euaporetur, ſed in vaſis vitreis, & niſi ſpatulá ligneâ attingatur. Iſthinc in altero ſimili uaſe tandiu coquatur ad fortiſſimum ignem, donec liquefiat; indeque validè tritũ in veſicas bouis ſtrictè colligatas & ſurſum appenſas, vnà cum arenæ parte in loco humido apponatur, hiſque vitrea, ſeu vitreata vaſa; recipiendo liquori, qui emanabit, adaptata. Hunc per filtrum primò, deinde per alembicum ſed lentiſſimè diſtilla, cuius fundo materia quædam alba, & tranſparens reſidebit, quæ denuo in lapide marmoreo per diem ferè teratur, & eo quo ſuperiùs modo, in aquam ad humidum reſoluatur, filtretur, ac diſtilletur: idque ad ſeptenam vſque vicem: dum corpus illud chriſtallinum, quod in vaſis fundo ſingulã diſtillatione reperiſti, in oleum verum, fixum, & fuſibile reducatur.

Magnum hoc naturæ ſecretum prædicant: quo metalla in Mercurium rediguntur, albificantur, & dulcificantur.

Salis Tartari præparatio Chimica.

Accipe tartari vini albi, optimi, & eius præſertim quòd è Germanià aduehitur libras aliquot, in ſufficienti quantitate. Calcinetur prout in alterà eius præparatione adſcripſi, dum albiſſimum euadat. Proiice in aquam feruentem, in quà diſſoluatur. Filtra, & euapora, reſolueque ad locum humidum in aquam oleaginoſam. Cuius ad minimum lib. x, per vnum, vel plures alembicos diſtillentur, ac limpidiſſimà iſthinc aqua emanabit, quã ſerua ad partem, fecibus albiſſimis in vaſis fundo reſidentibus. Has tere, & pone ad humidum, quò in aqueum liquorem denuò reſoluantur, & ad ſeptenam vſque vicem terendo, ſoluendo, diſtillando magiſterium repete. Septimum etenim ſal, magnam metalla tingendi, & albificandi vim, & energiam habere Chimici omnes prædicant, ac præterea ad morbos pleroſque, præſertim verò ad lepram ſummum eſſe, & ſalutare remedium.

Si in oleum expetas, ſeptimam præparationem abſque diſtillatione, diſſolue in loco humido.

Sal elembrot.

Hoc ſal à Chimicis interdum allegatum venit: ideò quæ de eius præparatione reperi hic apponam. Sume ſalis communis præparati, ſalis gemmæ, & ſalis Alkali ana ℥ i. fiat puluis ex omnibus. Inde ſume ſucci mentæ & ſucci cariof. ana ℥ ii, aquæ communis claræ lib. ii. Miſce ſimul, & appone in hanc aquam, quam filtra, & euapora. Exſicca tandem. Aliqui addunt huic preparationi, aliquid ſucci chelidoniæ, & ℥ ii, ſalis armoniaci.

 Sal

Sal Alkali commune.

℞ cinerum tinctorum lib. v, calcis viuæ lib i, aluminis cathini, quâ vtuntur vitriarii ℥ iiii. Miſce ſimul trita in ſufficienti quantitate aquæ, & decoque vſque ad conſumptionem medietatis: quo peracto renoua ſuperiores materias; & affunde aquam deſuper. Coque ad medietatem iterum, & aquam remanentem per filtrum expurga, quæ denuo & coquatur, donec euaneſcat, & remaneat ſal. Imponatur hoc in aliud vas, & paulatim calefiat ad lentum ignem, dũ aucto calore, tandẽ rubeſcat, & liquefiat, indeque in aliam ollam immittatur. Hoc ſal alkali vulgi. Plerique tamen exactioris ſpeculationis, propriè de ſale Metallorum illud intelligi opinantur.

Sal Indicum.

℞ vitrioli Romani lib. i, ſalis communis præparati lib. i, viridis æris lib. i. Tere, & fac ad modum pulmenti, cum aquis vitrioli, & aluminis: quod calcinetur in tigillo, donec rubeum, & inſtar cinaprii fiat.

Sal armoniacum.

Sal armoniacum plerique practici in hunc ſe modum figere aiunt. Sumatur corticum ouorũ in calcem redactorum lib. i, ſalis armoniaci tantundem. Teratur in lapide marmoreo, & imbibatur aceto diſtillato, ac per filtrum depurentur. Feces vero cum altero aceto bulliant; quod & item coletur, & colaturâ hac cum pręcedẽte aſſeruatâ, aliud de nouo ſuper apponatur. Filtra & adhuc, ac declina, donec omnis ſalſedo abſit. Ita fiet, ut crebris aceti infuſio-

nibus,

nibus, & exſiccationibus, ſal armoniacum fixetur.

Hoc & ſequenti præparatione rubificari diù notum eſt, ℞ limaturæ Martis, & ſalis armoniaci partes æquales. Miſce ſimul ignita, donec refrigerentur. Inde ſubtiliter tere, ac ſublima, ſublimationemque repete, donec rubea fiat: remanente in fundo vaſis crocò ferri optimo.

Aqua ſalis armoniaci.

Accipe ſalis armoniaci quantùm volueris, triti quantùm poteris. Ponatur in veſicam bouis, ſuſpenſam ad vaporem aquæ calidæ; cui vas vitreum, uel vitreatum ſubtus admoueatur. Ita reducetur in aquam. Reductum filtretur.

De Arcenico.

Arcenicum fixatur operatione ſequenti. Sume arcenici ſublimati lib. ii. Imbibe primùm oleo tartari, & poſtea exſicca ad Solem, aut lentum ignem; idque ad minimum duodecies. Adhibe iſthinc in aquam calidam, omnemque ab eo ſalſedinem extrahe, donec purum ſuperſit. Hoc peracto; accipe ſalis armoniaci fixi æqualem partem, cuius medietate dictum arcenicum imbibe, & poſtea exſicca, ac tandem ad ignem reuerberii admoue: dumque hoc feceris, medietatem ſalis armoniaci alteram, quam ad partem ſeruaſti huic ſuperaffunde; ac de nouo incorpora, imbibe, & deſicca. Eritque medicina tingendo ♃ aptiſſimà.

Arcenicum porro citiſſimè, & citra fidem fere omnem hoc vnico facili, & nullius faſtidii modo omni venenatà qualitate expurgatur. Accipe arcenici verbigratia ℥ i, miſ-

℥ i. Miſceque in ollâ vitreatâ cum oleo communi, ut inſtar pulmenti liquidi fiant. Sed olei tantum adhibe, vt ad duos digitos ſuprà ſtet, calefiantque ea ad ignem lentum ferè per horam. Fiet ut oleum ſummè nigreſcat: quod per declinationem ab arcenico tum remoue: aliudque de nouo ſuper adde, dum clarum, & purum inde abſcedat. Vltimò cum forti lixiuio ablue, quò vnctuoſitas olei omnis ab arcenico remoueatur. Hoc ità præparatum non ad metalla tantum, ſed & ad humana corpora præſtantem medicinã, & inſigne diaphoreticum clariſſimus vir iamdudum mihi aperuit, & experimento comprobauit. Porrò eius ordinaria ſublimatio, fit à fuligine ferri, tenuiſſimè triti, ſepties ad minimum repetita.

Aqua ſalis communis.

Accipe ſal albiſſimum quod habere poſſis, & abſque alterá artificiali præparatione hoc in aquâ communi diſſolue, filtra, euapora, & coagula: dumq; ſic præparatum fuerit, miſce cum ſucco rafanorum, & vnà tandiu moue, vt omne diſſoluatur. Hunc liquorem quinquies, aut ſexies diſtilla cum pari quantitate ſucci perſicariæ, ſanguinis aquatici, vel ſanguinariæ.

Aliqui forti ſaltem igne calcinant; ac tenuiſſimè tritum in loco humido lapideo marmori admouent, dum in aquam reducatur. Sed hæc operatio non ita mihi, ac ſuperior arridet; quæ laminas auri, per antimonium, vel cementum Regale repurgati, in puluerem impalpabilem illicò reſoluit; qui toties aquâ communi diſtillatâ, per declinationem ſæpius effusâ lauari debet, donec abſque ullo ſalis guſtu, ea inde abſcedat.

Oleum ſalis communis.

Accipe partē unam calcis viuę, & partes duas urinæ hominis; facque ex his ſeu capitellum, vel paſtam, in quam appone ſalis communis quantum ſatis. Hanc admoue in fimum equinum per dies ſeptem, ac inde diſtilla, materiam verò in vaſe reſidentem, unà cum diſtillato liquore denuò tere, diſſolue, in fimum repone, ac pariter diſtilla; totumque ter repete: ſal in oleum verum, quod amplius congellari non poterit, tertiâ diſtillatione accepturus.

Sal, & oleum urinæ humanæ.

Sume urinam hominis in ſufficienti quantitate, quæ putrefiat per dies decem, & poſtea filtretur. Huius filtrati quarta pars euaporetur, medium reſidui per cucurbitam diſtilletur, dimidio altero in urinali vitreo lentè euaporato. Feces utriuſque calcinentur ad reuerberium, donec candeſcant: terantur inde, & in aquâ pluuiali diſtillatâ feruente ſoluantur. Filtretur aqua hæc, euaporetur, & congeletur. Sal quod remanebit, crebris huius operationis, repetitionibus fuſibile fiet.

Oleum ſalis nitri.

Accipe urinæ, & aceti partes æquales, & impaſta cum calce viuâ, adhibeque in vas amplum longioris colli, ſal nitrum iſtis addendo. Diſtilla aquam, & diſtillationem ſuper feces ad tertiam vicem repete. Has reſolue in oleum, in loco humido.

Oleum mellis, & ceræ Chimicum.

Accipe mellis, & ceræ recens confectorum ana lib. j, alumi-

aluminis plumæ lib. S. Liquefac ceram cum melle in urinali vitreo, & his alumen plumæ ſuperpone, & miſce. diſtillaq́ue lento igne per alembicum; aquam, quæ primô emanabit ſeorſim aſſeruando, ignem verò dum oleum omne, albi coloris diſtillet, adaugendo. Miſce hoc cum nouà cerá, & unciis tribus alterius aluminis plumæ, denuoque cum ſuperiori aquá, quam ad partem ſeruaſti, diſtillá, diſtillatumq́ue, ſed oleum præſertim exactè cuſtodi. Fixatiuum etenim aiunt, ac medicinis Chimicis ingreſſum præbere: atque ſi eò arcenicum, vel ſulphur imbibatur, penetrationem in corpora, præſertim verò æris fuſi præparati iſtis exhibiturum.

Oleum ſulphuris Chimicum.

Oleum quoddam ſulphuris, philoſophicè extractum, in ſuperioribus medicamentorum mineralium deſcriptionibus appoſui, quod etſi à propoſito haud abſit, hic non denuò adſcribam: alterius tamen præparationis aliud, quod quidam practicus ſe aliquando è ſulphure extraxiſſe mihi aperuit, inſeram. Accipe ſulphur cum ſale nitro, & calce viuá, prout in præcedente capitulo. Calcinentur dum albefiant. Puluerem minutiſſimè tritum, cum æquali parte ſalis armoniaci ſublima toties, ut non amplius. Materiam reſidentem aceto diſtillato imbibe, poſtq́ue validam contritionem, & fermentationem aliquam, impone in cucurbitam, aceto materiam tribus ad minimum digitis ſupereminente. Diſtilla tandem ſecundum artem, ac poſt aceti extractionem, ſtillabit magno igne oleum rubicundiſſimum.

Oleum ceruſſæ.

Accipe ceruſſam, & diſſolue in aceto, ac per cineres diſtilla. Diſtillatio verò ſuper feces ſepties repetatur, reſidente tandem in oleum ceruſsâ, quod tandem per cucurbitam aſcendet. Hoc & prætioſum medicamentum eſt.

Oleum Antimonii.

Multifariæ ſunt huius olei deſcriptiones. Quidam enim oleum ab Antimonio ſic extrahunt, ut illud cum dimidia ☿ ſublimati parte per cucurbitam luto forti obductam, ſeruatis ignis gradibus eliciant: ☿ in recipientis vaſis fundo reſidente. Quæ operatio, breuiſſimo tempore abſoluta, licet corporibus humanis haud ita conducat, ad operationes tamen Chimicas, & Lunam fixam potiſſimè tingendam plurimùm energiæ habere creditur, modò flegma mutato recipiente ab oleo ſeparetur, & materiæ ante diſtillationem validè triturentur.

Sed eſt alia deſcriptio huius olei, minus vulgaris. Sumatur Antimonium optimum: teratur; & cum aceto diſtillato, in occluſo vaſe vitreo tamdiu relinquatur, donec colorem mineralem acetum acquiſierit. Hoc in aliud vas affundatur, aliudque nouum reſidenti Antimonio toties eo modo ſuperaddatur, donec haud amplius inde tinctum abeat. Sed aduerte breuius id ſucceſſurum, ſi Antimonii loco illius regulum aſſumas: quem apprimè tritum cenſerem potius in acetum immitti, quò facilius, breuius, & fortè perfectius illius tinctura eliceretur. Quicquid operaberis, extractam illam per cucurbitam, gradibus ignis obſeruatis ſecundum artem diſtilla. Exibit primò aqua, deinde oleum rubicundum, cui nouum recipiens admouere ſuo tempore aduerte, circulaque extractum fimo equino, per dies quadraginta.

Oleum

Oleum Antimonii per ſpiritum vini extractum.

Accipe Antimonii optimi, in mortario æneo triti, tartari albi calcinati, & in tenuiſſimum puluerem redacti, ana lib. iii. Fiat primò Antimonii oleum, aliquo è ſuperioribus modis, quo hæc imbibantur & inſtar pulmenti fiant. Exſicca ad Solem iſthinc vel ad furnum, quo panes decoquuntur. Tere denuò, imbibe, & iterum deſicca, idque quater ad minimùm repete; indeque puluerem hunc Antimonialē in tigillo appoſitum ad ignem admoue, ac ſpatulá ferreá tamdiu miſce, dum colorem quaſi aloes perceperit. Remoue tunc à tigillo, vel eius partem, donec totum integrè calcinatum, ac debitè præparatum habeas. Hoc demùm in vas vitreum oblongum, Hermeticè clauſum, cum quintá vini eſſentiá digito uno ſupraſtante, ad fimum equinum calidum apponatur, & in eo per triduum ſtet. Fiet, ut eo tempore huius illa tincturam extrahat. Declina tinctum vini ſpiritum, aliumque reſidenti pulueri ſuperiore modo affunde, idque toties, donec integram huius tincturam habeas. Tandem hos omnes vini ſpiritûs, ita tinctos diſtilla balneo maris. Aſcendent illi, remanente in fundo vaſis oleo Antimonii rubicundo. Serua, & utere.

De alio Antimonii oleo in tractatu noſtro de oleis medicinalibus fit mentio. Sed quia liquor eſt quidem oleaginoſus, at non oleum verum, atque à ſaccharo, cui Antimonium commiſcetur, veriùs, quàm ab ipſo Antimonio extractum crediderim; cum Chimicis operationibus aliquid illud conferre dubitem; haud de hoc ideò plura.

Spiritus vitrioli.

Accipe vitriolum Romanum, & appone in tigillum copertum, ac luto forti obductum, ut nullatenus reſpiret, poſtquam validè illud contriueris. Tigillus verò cum vitriolo per ſex horas ad ignem calcinationis ponatur, extrahatur, ac rubificatum illud, in acetum forte diſtillatum cum aſſiduâ mixtione proiiciatur: tandem quieſcat; acetum verò clarificatum filtro extrahatur, atque remanens vitriolum denuò ut ſuprà calcinetur, & aceto adhuc nouo imbuatur, idque toties fiat, donec totum vitrioli corpus in acetum reductum ſit. Hoc ita diſſolutum, diſtilla in alembico vitreo, fiet, ut acetum aſcendat, remanente in fundo vaſis oleo: quod item & adaucto igne in recipiens emanabit. Vtere ad rubificanda metalla.

Variæ præparationes ſulphuris.

Ait Theophraſtus: ℞ ſulphuris vulgaris, puri, ſubcrocei, in ſubtiliſſimum puluerem redacti, quod aquâ fortiſſimâ imbibe, hanc terná vice diſtillando, deinde feces, quæ in fundo vaſis nigræ remanſerunt, toties aquâ dulci diſtillatá ablue, per inclinationem effusâ, donec non ſalſa inde aqua abeat. Hunc puluerem ad ignem admoue, in furno reuerberationis clauſo, ut ſolet Antimonium reuerberari, qui diuerſos in reuerberio coloris gradus acquiret, ac tandem demùm, ut ſit medicina Lunam in puriſſimum Solem altè tingens. Hæc Theophraſtus.

Alia ſulphuris præparatio.

Accipe olei tartari lib. i, & hanc ad ignem lentum in vaſe vitreato appone, cui ſulphuris viui lib. S, iniice, & ſic ali-

aliquantiſper ſtare permitte. Hinc ſumito minii lib. iii, huicque in altero vaſe vitreo ſeu vitreato appoſito affunde præfatum oleum, cum aſſiduâ mixtione, & motione, indeque ad humidum quod reſidebit, ignis calore poſtea congellandum. Hoc receptum, etſi author non obſcuri nominis tingendæ in Solem Lunæ vim habere commendet, quia tamen haud philoſophicum fundamentum hic ſubeſſe video, id non facilè crediderim; quare hoc ut & alia pleraque maturiore iudicio tuo penſitanda relinquo.

Tertia præparatio ſulphuris.

Accipe ſulphuris viui puriſſimi, in puluerem tenuiſſimum redacti lib. i. Hanc miſce cum tribus ſalis fuſibilis, at fixi, & calce viuâ; quæ per minima triturentur, & in vas vitreum luto obductum adhibeantur: cui tenue fiat ſpiraculum, quo ſulphuris fumus exhalare poſſit, ita demùm collocatum, ut aliquo modo furnum illud prætereat, & ab igne aliquantùm diſtet. Hic ſit ab initio lentus, donec omnis humiditas conſumpta ſit. Inde ſpiraculum ſuperius occludatur, ac præfatum vas igni calcinationis adhibeatur dum candeſcat, quod duabus ad ſummum horis fiet. Hoc ita calcinatum, ſine infrigidari, & materiam duram, rubeique coloris, bis, vel ter in aquâ feruente diſſolue, quo omne inde ſal eximas; rubeum, congelatum, & fuſibile. Sulphur verò, quod exſiccatum remanſit, denuò cum duplo ſalis alterius fuſibilis miſce, ac diſſolue in aquâ feruente, ut ſuprà, tamdiù ut illud unà cum dicto ſale fuſibili, & tandem etiam diſſoluatur. Tumque euaporatâ aquâ medicinam ſulphuris, & ſalis iſtiuſmodi exſiccatam,

cum æquali parte ſalis communis præparati, non fuſibilis, ad furnum vaſe per deſcenſorium collocato, adhibe; quó fiet, ut remanente ſale ſulphur in laminas infra cadat. Huius pars in ☿ multas, illeque in alia viciſſim metalla, excepto Marte, cum mirabili effectu cadere aſſeueratur.

Author Italus, ex quo hoc arcanum deſumptum eſt, vult, eandem medicinam, eàdem planè præparatione, & de arcenico fieri, atque hic de ſulphure. Quare & poterit artifex, cui iſtorum voluerit incumbere, modó præſcripta omnia in ſuâ operatione exactè ſeruet.

Idem author partem medicinæ huius unam ſuper corporum perfectorum, atque repurgatorum decem, quæ item & medicina ſint, hanc verô ſuper imperfecta proiici debere præſcribit. Notaque, quod corpora imperfecta in omni proiectione debent repurgari.

Corpora perfecta, ut clarè loquar, ſunt ea, quæ in examine, quam vocant, Copellæ non euaneſcunt.

Sit veró regula generalis, in omni medicinæ proiectione; ſuper imperfecta corpora repurgata, ſi in calcem ea redigantur, debere demi de quantitate medicinæ, dum ea fluant, è contrario veró addi ſi nimis fluida, & ad perfecti naturam non accedentia.

DE METALLIS, AC IN PRIMIS DE Auro, quo non aliud corpus in rerum naturâ perfectius.

Aurum tractari ſolet â Spagiricis, aut ut in medicamentum potabile reddatur: de quo in tractatu medicamentorum mineralium ſat copiosè diſſeruimus, aut ut calci-

calcinatione depuratum, & in liquorem fluidum redactũ, denuoq́ue in corpus, ſed longè perfectius reſtitutum, imperfectis corporibus curandis aptum ſit, aut denique ut in ſpiritum, ſeu animam à corpore ſeparatam reducatur. De quibus binis poſterioribus operationibus aliquid hoc loco diſſeremus.

De calcinatione auri.

Aurum variis modis calcinatur. Vulgatiores ſunt, ut primò per Antimonium, vel cementum Regale quod vocant expurgetur, inde in aquam Regiam de quâ ſuperius, in ſubtiliſſimas redactum laminas, vaſi vitreo rotundo oblongi colli, ad cineres tepidos impoſitum, in tenuiſſimas & impalpabiles abeat partes: & euaporatâ iſthinc aquâ in aliud vas orificii latioris communi alterâ diſtillatâ, & calente per inclinationem ſæpius effusâ abluatur. Fiet, ut crebris eiuſmodi lotionibus, omni ſalis acrimoniâ expurgatum, & Chimicis operationibus longè aptius habeas.

Calcinatur & aurum per aquam ſalis communis, de quâ item ſuprà, quæ aurum in minutiſſimam utique calcem reducit, quod & ab acrimoniâ ſalis expurgandum pariter eſt.

Calcinatur item, ſi per Antimonium, aut cementum Regale repurgatum, in minutiſſimas partes vel limaturam redigatur, & cum ☿ calente in tigillo commiſceatur, aſſiduá mixtione cum ſpatulá ligneá dum fiat amalgama. Hoc calens in aquam communem frigidam ſolet iniici, ſique auri non diſſoluti aliquid reperiatur, operatio iterari. Teratur iſthinc illud amalgama in lapide marmoreo,

ſed validè; denuoque in tigillo ad ignem admoueatur, dum ☿ euaneſcat: aurum verò, quod inſtar calcis reſidebit, frequentibus, ut ſuprà, aquæ communis diſtillatæ lotionibus abluatur, indeque cum ſale communi præparato, per horas ad minimùm ſex igne reuerberii calcinetur, lauetur, atque ad ternam uſque vicem eiuſmodi calcinatio, & ablutio ad minimùm repetatur.

Calcinatur & denique aurum ſequenti modo, qui apprimè probatur. Fiat amalgama auri, & ☿ ut ſuprà, & imponatur hoc in cannulam ligneam, luto undequaque, ſed præſertim in extremitatibus obductam, quæ in vas terreum tali artificio adaptetur, ut firma ſtet, ac inde diuelli nequeat. Hoc impleatur poſtmodum plumbo fuſo, per horas 24. in eâ fuſione ad ignem manens. Fiet, ut perfectiſſimè calcinatum, & impalpabile nanciſcaris. Huic operationi ſi & antedictam cum ſale communi cementationem addas, abſquè dubio magis hoc attenuatũ reddes.

Sed nota, veram auri calcinationem intelligi, dum ita conteritur, ut in corpus priſtinum amplius haud poſſit reduci, & ad ignem liquefieri. Id quod poſtremis ſuperioribus modis, ſi debitè peragantur, euenturum vero ſimile eſt.

De reductione auri in oleum.

Aurum reducetur dubio procul in oleum ac fluidum liquorem, ſi aliquo è ſuperioribus modis calcinatum ponatur cum aceto forti diſtillato ad fimum equinum per dies viginti: quo tempore ſi quid fortè non diſſoluatur, id denuò calcinari, atque in acetum prout ſuperius immitti oportet; indeque in ſpiritum vini genuinum, & philoſo-
phicè

phicè præparatum per ſimile tempus, ad ſimilem calorem, in pari vaſe, declinato aceto, & abluto auro, ac exſiccato apponi.

Aurum ab aliis hoc pacto in oleum reducitur. ℞ ſalis armoniaci ℥ vi, ſalis nitri, ℥ iii, ſalis gemmæ, ℥ iii, & de iſtis fac aquam fortem per alembicum : ſumeque poſtea ☉ per Antimonium repurgati quantum vis, & in tenuiſſimas laminas adaptatum, in hanc aquam reſolue, ſolutumque diſtilla, & ſine benè exſiccari. Laua iſthinc ab omni ſale hoc, & exſiccatum cum duplo ſalis Armoniaci ſublima, ſublimationemque ſuper feces quinquies repete. Inde corpus reſidens diſſolue, diſtillatione congela, ac iterum diſſolue, ſed in aceto, iterumque congela : & hoc repete pluries, tandemque congelatum pone in ampullá oblongi colli Hermeticè clauſá, ad fimum equinum calidiſſimum, per dies aliquot, donec in oleum conuertatur. Serua ut pretioſum.

Alii amalgamant cum ſale, & ſulphure albo, lauant, & terunt in marmore, affundunt amalgama, & aquam vitæ in eo comburunt : illaq; cõbuſta denuò terunt cum alterâ aquâ vitæ, & in hac tamdiu operatione pergunt, donec puluis in oleum viride conuertatur.

De extractione ſpiritûs, ſeu animæ Auri.

Theophraſtus Aurum minerale repurgatiſſimum in laminas ſubtiles redactum, abſque alterà calcinatione in quintam eſſentiam vini per dies viginti, ad fimum aut balneum imponi præſcribit, dum ea ☉ colore tincta remaneat : eáque declinatá, nouam corpori pariter affundi, hocque tamdiu fieri, dum aqua inde non amplius tin-

ctá abſcedat, remanente (ut ait) in fundo vaſis corpore albo, & exanimato. Quod Lullius vult per triduum calcinari, huicque nouam quintam vini eſſentiam imponi: in ☿ currentem iſthac ratione reducendum. An ea operatio vera ſit, & eæ diſiunctæ partes nouum corpus reuiuificatum, prout multi prætendunt, efformare poſſint, cum & ipſe non parùm dubitem, examini tuo relinquo.

De præparatione Argenti ſeu ☽.

Eundem ferè modum tenent in Lunæ præparatione Chimici, atque in ☉, quantùm ad calcinationem attinet. Aliqui tamen peculiarem hanc obſeruant. Sumatur Luna puriſſima fuſa, & proiiciatur ſuper ☿ feruente, ac benè moueatur virgá ferreá dum fiat amalgama. Hoc teratur cum ☿ nouo & magna parte arſenici ad ignem appoſitum dum hæ materiæ euaneſcant, & calx Lunæ remaneat alba, ex totó, vel in parte: quam tum imbibe aqua ſalis, & pone ſic præparatam in furno panis per diem naturalem ſalibus expurgatam, & in albiſſimam calcem redactam.

De fixatione Lunæ.

Quia non parua de fixatione Lunæ inter Chimicos mentio, de eá idcircó & hic aliquid interſeram.

Accipe æquales partes olei tartari, & aquæ ſalis communis; in quas ignita Luna multoties extinguatur in laminas tenues adaptata: ſingulá extinctione nigredinem, quæ Lunæ adhærebit, amouendo, & hoc toties, donec ex illá extinctione albiſſima abſcedat.

Figi dicitur & Luna, ſi cementetur cum calce marmoris, & ſale communi præparato, per horas ſex, & repetatur ter

tur ter, aut etiam pluries calcinatio.

De cupro, ſeu Venere.

Ait philoſophus: ponatur ſtratum de ſale communi optimè mundato in cruſibulo (quod tigillum hactenus nominauimus) & deſuper huius lamina, & deſuper ſalis ſtratum, & deſuper lamina, & ſic viciſſim, donec vas fuerit plenum & coperiatur, & lutetur, & collocetur in furno calcinationis per diem naturalem. Deponatur, & abradatur quod calcinatum fuerit, & reponatur lamina cum ſale nouo, & ſic alternatâ vice calcinetur, donec omnes laminæ fuerint conſumptæ ſeu corroſæ, per beneficium ſalis, & ignis: quia ſal corrodit ſuperfluam humiditatem, & ſulphureitatem combuſtibilem: ignis veró eleuat ſubſtantiam fugitiuam, & inflammabilem, cum proportione debitâ. Teratur omninò puluis ille minutiſſimè, & lauetur cum aceto, donec nigredine careat aqua exinde emanans. Hunc alternâ vice de ſale nouo & imbibe, & tere; & poſt contritionem ad furnum calcinationis in vaſe aperto pone, ſtetque ibi per tres dies naturales; deinde extrahe, & tere ſimiliter, & ablue cum aceto benè, & diu, donec ab immunditiâ fuerit expurgatus. Deſiccetur ad Solem, tuncque apponatur eius medietas de ſale armoniaco; benè, & diutiſſimè terendo, donec ſubſtantia impalpabilis fuerit. Ponatur tum ſub reſolutionis fimo, donec quicquid eſt ibi ſubtile, fuerit ſolutum, renouando ſal armoniacum mundatum, ſi fuerit neceſſe, donec totum aqua fiat. Hanc aquam honora; aquam ſulphuris fixi nominamus, cum quá tingitur elixir uſque ad infinitum. Hæc Geber.

EX VENERE, SOLE, & LVNA mixturam Solarem, omni examini ſtantem, Practicus aliquis aſſerit: ea fit in hunc modum. Accipe ☉ xiiii caratt, & æris noui uſti ana æquales partes. Liquefiant ſimul, & in laminas tenuiſſimas coaptentur, poſteaque ſequentibus pulueribus cementententur. ℞. ſalis armoniaci ℥ i ſalis nitri, & viridis æris, vitrioli Romani ana ℥ S. Reducantur in puluerem, ex quo ſuperiores laminæ quinquies ad minimùm per horas viginti & quatuor ſuperpoſitis, qualibet vice nouis pulueribus cementententur, ſique tum accidat mixturam illam aliquid de priori pondere perdidiſſe, addatur tantundem de Venere præfatâ, iterumque quinquies eodem modo cementetur, addeque Venerem & adhuc, ſi de pondere, aliquid denuò amiſerit, ac perge uſque ad decimam & quintam vicem; quá mixtum hoc inſtar coralli rubeum fiet, quod ad partem ſerua. Inde accipe Lunæ repurgatiſſimæ ℥ ii, & in hunc modum prepara. Reducatur in laminas tenuiſſimas, & appoſita in tigillo cum puluere marmoris, & ſale communi præparato, calcinetur ad fortem ignem, per horas tres, iterumque cum nouis pulueribus calcinatio repetatur. Denique prædictæ mixtiones ☉ & ☽ liquefiant ſimul, & in canalem proiiciantur, eritque Sol caratt. xxiiii ad omne examen. Si minus habere velis, adde duplum Lunæ. Hæc author Italicus.

Venus & ſummè in colore augetur, & quaſi deauratur hoc unico cemento. Accipe vitrioli Romani part. i, viridis æris partem i, vitri criſtalini partem i, è quibus ſuper laminas tenues æris fiat ſtratum ſupra ſtratum ſecundum artem.

Præpa-

Præparatio Veneris, quâ Solem quartâ parte adaugeri Chimicus aliquis ſcripto aſſeuerauit.

℞ ſalis armoniaci ℥ vi, vitrioli rubificati ℥ iiii, ſalis præparati ℥ ii. Sublimentur benè trita, & incorporata ſecundum artem; idque ter, & fecibus abiectis: unicuique ſublimationi vitriolum, & ſal pro ratâ adhibendo. Huius ſublimationis accipe partem i, & partem alteram æris uſti, benè tritas, ac ſimul incorporatas, admoueque in ampullam vitream capacem, undequaque luto obductam, quæ ad fortem ignem carbonum, ſubtus, ac ſupra extructum, lentum tamen à principio, per diem, & noctem ſtet, aperto vaſis orificio per horas primas ſex, at poſtmodum ſtrictè, & ſummâ cum diligentiá occluſo.

Huius medicinæ pars, ſuper i, ☉, & ☽ ii, quæ illi ſint æquales, ſed paulatim, & iteratis vicibus, dum omnia benè fuſa, & incorporata ſint proiiciatur. Iſthinc adhibeatur ad copellam maſſa, indeque ad ſeparationis aquam; cuius examine videbis, quantum ☉ pondus præter ſuperius acquiſieris.

DE PLVMBO, SEV SATVRNO.

Calcinatio Saturni, & reductio in aquam iuxta philoſophum.

Saturnus præparatur, appoſitus ad furnum calcinationis, in vaſe apto uſque ad corporis fuſionem, aſſiduè motus cum ſpatulá ferreà perforatà, & excrementis, quæ ſuper eo concreantur, ſucceſſiuè remotis, dum mediante

ignis

ignis calore æquè perdurante, bona quantitas ipſius pulueris fuerit congregata. Deponatur tum illa, & iterum moueatur, quouſque alternatà vice totum corpus in ſubtiliſſimum puluerem redigatur: qui cribretur, & reponatur ad furnum, & ſtet in igne ſuæ calcinationis, donec tota ſubſtantia fugitiua, & inflammabilis fuerit deleta. Extrahatur calx rubea : quæ imbibatur & teratur frequentiſſimè, & minutiſſimè cum ſale communi mundato, & aceto acerrimo purificato. Deſiccetur, imbibatur, teratur toties cum iſtis, addito Iameni alumine, donec dicta immunditia fuerit deleta. Hoc cum nouis ſuperioribus materiis ponatur ad botrum barbatrum, quò fiet, ut corpus reductum deſcendat. Calcinetur poſtremò cum puro ſale armoniaco, & diſſoluatur per modum prædictum, ſcilicet poſt ſublimationem, vel frigido, & humido, vel in ventre equino, vel veſicis vitreis, in furno ſolutionis. Eſt enim hæc aqua argenti viui, & ſulphuris, quà utuntur philoſophi ad elixir rubeum.

Hæc de Saturno ſatis obſcurè Geber; quibus & addit, ſed alio loco. Calcinatur Saturnus in vaſe clauſo, & furno vitriariorum per dies quindecim, vel amplius. Purgabitur à ſuà nigredine. Dimittatur poſt alios duodecim: quod ſi per duos menſes, perficiet ſeipſum crudum, purgatum, vel non purgatum, & habebit citrinitatem accedentem ad rubedinem, vt ſi feceris de eo ſal, videlicet per acetum diſtillatum, cum hoc ſale tinges Lunam in optimum Solem, & huius ſalis aſcendet pars una ſupra quinque Mercurii, & huius Mercurii pars una cadet ſuper decem partes Lunæ, & iſtius pars una ſupra quinquaginta Lunæ.

Sed

Sed iſtis aut ſubſunt recondita myſteria, aut exteriori ſenſui fidem adhibere, æquè difficile, ac periculoſum eſt. Itaque venio ad alterius modi depurationes.

Saturnus cum calcinatus fuerit, infundantur ſuper eam calcem aluminum, & ſalium aquæ, vel commiſceatur in eâ vitrum tritum, & redigatur in corpus: hæcq; toties operatio repetatur, quouſq; ſeſe mundatum completè oſtendat.

Oleum, ſiue anima Saturni.

Accipe Saturnum, & in hunc modum calcina. Ponatur in igne ad fuſionem. Nigreſcet primò, ac inde albeſcet, poſtremoq́; rubeus erit. Hunc immitte in fornacem reuerberationis, & ſic ignitum in aceto diſtillato extingue: quieſcat parumper, & per inclinationem vaſis effundatur acetum; feces verò, quæ in fundo reſident, iterum fac ignitas, & extingue ut ſupra, ac ſic procede ad placitum. Deinde aceta illa omnia lento igne diſtilla, cauendo ab aduſtione: ad materiam verò remanentem affunde magnam copiam aquæ communis, donec omnis diſſoluatur: quâ ſolutâ, diſtilla aquam per alembicum, & remanebit ſal Saturni in fundo. Tunc accipe ſalis armoniaci æqualem partem: tere optimè ſimul, & ſublima; aſcendetq́; magna quantitas ſalis Saturni. Reſiduum verò, quod in fundo reperies, iterum ſublima cum nouo ſale armoniaco, & ita procede, donec è quatuor Saturni partibus tres aſcendant. Accipe ergo totam materiam ſublimatam, quæ bulliat in aceto diſtillato, proiiceq́; feruentem in ſciatum aquæ frigidæ: & ſeparabitur anima Saturni à ſale armoniaco.

Mercurius Saturni.

Accipe Saturnum, & liquefac ad ignem in vaſe terreo haud vitreato; cui proiice ſal commune cum fuſum erit, & virgâ ferreâ aſſiduè miſce, dum calcinatum videas, frigidoq́; aquam calidam iniice. Hanc filtra, & ad Solem, vel ignem lentum deſicca: tum ſume quartam partem ſalis armoniaci, & miſce cum dicto Saturno, ſublimaq́; ſimul. Reſidebit hic vaſis fundo, in aquam Mercurialem currentem reductus.

Aliqui abſque alterâ præparatione ſal armoniacum ſubtiliſſimè tritum ad laminas plumbi tenuiſſimas ſtrato ſupra ſtrato, in vaſe ſublimatorio adaptant, admoto igne; abſolutâq́; ſecundum artem ſublimatione, ☿ Saturni in fundo reſidentem reperiunt.

Mixtura Saturni præparati cum ☉ & ☽.

Accipe æris noui in fornace vitriariorum calcinati, & in puluerem tenuiſſimum redacti lib. i, Saturni optimè repurgati lib iiii Liquefiant ſimul, & iterum per diem & noctem ſimul calcinentur. Fiet maſſa veluti aurea, cuius pars, cum æquali Lunæ copellatæ liquefacta, cumq́; ſimili fuſi ☉ quantitate commixta, mixturam auream noni ingratam (ſed ignoro an realem) præſtat.

Medicina è Mercurio Saturni. quâ Chimici per proiectionem ad Metalla utuntur.

Accipe Saturnum, & pone ad ignem in ollâ ferreâ cum ſale, prout iam vidiſti, dum in cinerem redigatur, ablue poſtea cum aquâ recenti, & hanc per filtrum extra-

he;

he: quod remanſit in fundo deſicca ad Solem, vel cineres calidos, & hanc inde materiam ſublima, donec alba aſcendat: hocq́; repete, quouſq; in ſummam albedinem habeas: inde ſublima cum aquá ſalis armoniaci toties, ut non amplius: & fixa in vaſis fundo materia remaneat. Iſthinc ſumito ☿ Saturni quantũ ſatis, & corpus hoc fixum illo imbibe, diſtillaq́; toties, donec fixum item utrumq;, nilq; amplius aſcendere videas: tumq; calido, & ſicco congela, dum prius ad humidum diſſolueris, habebisq́; medicinam, cuius partem ſuper 100. imperfectorum cadere Chimici aiunt.

De IOVE, ſeu ſtagno.

IOVEM eodem ferè modo præparat philoſophus, ac Saturnum. Amittit ille ſtridorem ſi purgetur primò in ſucco allii ſaluatici, indeq́; calcinetur cum ſale communi, aſſiduá mixtione cum ſpatulá ligneá, poſteaq; lauetur à ſalſedine, cum aquâ tepidà, ac tandem ponatur in fornace figuli, donec vaſa ſint cocta.

Succi cicutæ, perſicariæ, & alii ſaluatici, hunc apprimè depurant.

Item & purificatur per acetum album fortiſſimum, in quod ſexies, aut plus recens fuſus iniectus fuerit.

Pleriq; ſal armoniacum, & mel diſſoluunt in aceto rubro, in quod chalybs ardens ignitus quinquies, aut ſexies extinctus fuerit: in quam diſſolutionem Iouem liquefactum duodecies ad minus proiiciunt, unde tandem puriſſimus, & Anglicano potior abſcedit.

Hæc puritas ſimiliter huic & accedet, ſi ad ignem in ollâ ferreà liquefacto, tantum olei communis iniicias, ut

digito uno ſuprà ſtet, cum aſſiduà mixtione dum hoc accendatur, & totum comburatur. Indeq; cum farinæ frumenti furfure fuſum miſceatur, & validè moueatur, ac deniq; in libram huius i, ſemiuncia auri calci ſubtilis immittatur.

Ex talco ſuper Ioue Medicina.

Accipe talci calcinati prout ſuperius in alio tractatu ℥ i. Mixtum hunc cum duplo ſalis armoniaci ſublima multoties, ſublimatoq́; quartam ☽ calcinatæ, & cum ☿ repurgatæ partem adde, totumq́; poſtea calido & humido, vel etiam frigido, & humido ſecundum artem ſolue, & congela, hocq́; multoties repete. Hæc mixtura, ſeu medicina cadit ſupra Iouem cum aceto repurgatum.

Fit & ex oleo calci peculiaris ad Iouem altera hæc. ℞ olei talci partem unam, & ☽ copellatæ partes tres. Imponantur in vas vitreum Hermeticè clauſum ad fortem ignem arenæ vel cinerum per dies octo, poſteaq; altero adhuc octiduo ignis adhuc auctus continuetur, quò fiet, ut materia quæ fuit à principio liquida, & diſſoluta congeletur. Hanc ſi poſtmodum in humido diſſoluas, ad Iouem, & Mercurium multò nobiliorem, & efficaciorem habebis medicinam.

Hanc ita & multiplicari aiunt. Sumatur huius medicinæ ſolutæ pars una, & ☽ præparatæ altera, quæ pariter ut ſuprà in furno Athanor præparentur, ac totum erit medicina. Itaq; hanc ſeu mineram habere poteris, de octiduo in octiduum multiplicationis ſuſceptibilem.

Sed & ex Ioue præparato ſequentem aliam in Chimicis libris legi. ℞ arcenici criſtallini quantum vis, & hoc ſub-

lima

lima cum fuligine ferri, in uaſe terreo vitreato per ſex horas: quod ſublimatum reperies ſerua ad partem. Demum compone medicinam eiuſmodi. Accipe Iouis præparati, ut ſupra ℥ vi, arcenici ſublimati ℥ x, ☿ ſublimati ℥ iiii, tartari albi calcinati ℥ S, miſce ſimul pro opere, & partem iſtius medicinæ unam ſuper partes tres Iouis fuſi, ac nouies extincti in ſucco allii ſaluaticj, additâ Lunæ repurgatæ tertiâ parte proiice. Eritqe decem denariorum ad omne examen ☾. Ex manuſcripto Italico.

DE MARTE, SEV FERRO.

Paucas ſuper Martem proiectiones legi, aut ex eo mixturas, quæ tincturæ ſint alicuius permanentis, ob duriſſimam videlicet eius compoſitionem, & malum ſulphur cum Mercurio pauciſſimo. Fit tamen crocus ferri, qui ut & in medicinâ ſic & in multis operationibus Chimicis haud ſpernendus.

Crocus Martis.

Accipe ſcamas ferri, & ſcamas Veneris ana, pulueriza & impaſta cum melle, & mixtum hoc appone in ollã bene clauſã ad furnum panis, ac ibidem relinque per diem. Imbibe poſtea cum oleo communi in quo ſal nitrum diſſolutum ſit, ac denique exſicca.

Sed magis arridet altera iſtius deſcriptio, quam uidere licet in pręparatione, & ſublimatione rubeâ ſalis armoniaci, cum ferri limaturá, quod in optimum crocum eâ ratione reducitur. Vide ſuperius in tractatu de ſale armoniaco.

Fit & crocus Martis haud ingratus in hunc modum.

Sume partem vnam limaturæ ferri, & partes tres vrinæ pueri qui nondum ſeptimum annum compleuerit. Stent ſimul in ampullâ per dies ſeptem, & declina tá aquá quod ſupererit erit optimus crocus Martis.

Plerique limaturam ferri in aquam fortem cum vitriolo factam im̃ittunt, cui poſtmodum ſuperaffundatur aqua communis, ubi altera declinata fuerit, quæ pariter effundatur, exſiccato tandem ad ignis calorem puluere, qui fiet rubicundiſſimus. Eaque magis ordinaria præparatio eſt.

At perfectiſſimam croci Martis hanc eſſe putarim. Sumantur limaturæ ferri, & ſulphuris triti ana æquales partes, & in mortario æneo, addito aquæ pauxillo, tamdiù, & adeo valide terantur, ut calefiant, & fumum ex his aliquem proſilire videas, dumque hæc unà cum mortario frigeſient, puluerem in patinam ſeu laminam ferream, candentem, & rubeam iniice, diſtende, ac ſtare permitte dū ſulphur omne euaneſcat, quod remanebit, præparationibus Chimicorum medicinalibus aptiſſimum, terendū ſubtiliſſimè eſt, vnàque cum aceto forti diſtillato quatuor digitis ſupraſtante in ampullam vitream clauſā imponendum, & igni adhibendum donec acetum illius colore tinctum remaneat. Hoc à puluere ſi declines, & poſtea euapores, ſubcrocei coloris ſal, Chimicis operationibus peculiare in vaſis fundo nanciſceris. Puluis verò ad pleroſq; morbos, præſertim verò ad icteritiam ſummè conducit.

Nota verò æs uſtum eodem plane modo præparari, quod ſummæ ad tingenda metalla energiæ eſt, modò ab eo ſal non eximatur.

De

De Mercurio, ſiue Argento viuo.

Ante omnia, Metalli huius inter Chimicos adeo vſitati, exactam, & maturam electionẽ facere debes; quo neglecto periculum eſt ne operationes ex animi ſententiâ ſuccedant.

Eſt Anglicanus ☿, & Tranſiluanus, qui primum locum tenent, Germanicus non ita, quo longè melior Hiſpanicus.

Vt autem optimum cognoſcas, & qualis vſui eſſe debet, pone ad laminã argenteam de copellâ igni ſuperpoſitam; cui ſi Mercurius euaneſcens, notam auream uel argenteã relinquat, quin optimus ſit nõ dubites. Eiuſmodi & dignoſcitur, ſi denarium, vel monetam aliquam confrices quæ appoſita ad ignem alba euadat.

Sit verò regula generalis nullas ex Mercurio debere fieri operationes Chimicas, niſi primò is bene mundatus & repurgatus.

Purgatur autem per ſal, & acetum prout in deſcriptione Aquilæ mineralis diſſeruimus, purgatusque in eum modum ad ternam vicem, aut etiam pluries in corio comprimi, ac per illud exprimi debet.

Ait philoſophus. Mercurius, ſeu fermentum philoſophicum fit crebris lotionibus cnm ſale, & aceto, qui iſthinc miſceatur cum marmore, & corticibus ouorum, vel talco calcinato, cumque his, & aceto diſtillato teratur, & commiſceatur frequenter lento igne : quò fiet ut cum dicto aceto omnis Mercurij aqueitas euolet, & abſcedat, ex multiplici reiteratione imbibitionis &c. Vnde ponitur ad ſublimandum; cumque ita ſublimatus fuerit, ut albiſſimus

biſſimus lateribus vaſis adhęreat (quod forte ternâ vice fiet) tunc reiteretur ſublimatio abſque fecibus, & toties, ut remaneat fixus, ac fuſionem bonam habeat. Vide Geb. in capitulo de ſublim. ♀. Aliqui á principio, & ante repurgationes, & ſublimationes aquis fortibus calcinant, & in aquâ dulci poſtea reuiuificant.

Eſt & alia Mercurii repurgatio quá omnis eius aqueitas abſcedit, facilis, & á viro ſolerti promanans.

Accipe ☿ repurgatum, diſtillaque cum calce viua per alembicum. Hac diſtillatione ex lib. i Mercurii, iiii aquæ ℥ abſcedent, ſed calx primó per ſex horas in tigillo nouo calcinetur, & cum nouâ reiteretur diſtillatio ter, ad ignem violentiſſimum.

☿ Sublimatio communis.

℞ vitrioli Romani, ſalis communis, & Mercurii ana lib. i. Incorpora ſimul, miſce & adhibe in uas ſublimatorium præparatum ſecundum artem. Cui tenue ſpiraculum ab initio ſublimatiõis, fiat; quod poſtea intercludatur, adaucto igne.

Alia ſublimatio ☿ Rubea.

Accipe ☿ quantum uis, & cum vitriolo rubificato, diſſoluto in aceto forti diſtillato, addito ſale communi præparato, ſublima in eum planè quo ſupra modum : niſi quod ſublimatio cum fecibus coniungi, teri, & ſublimari debet, dum ☿ aſcendat.

De fixatione ☿.

De fixatione ☿ magna, & multa inter Chimicos mentio.

Ideo

Ideo quæ vero ſimiliora á probatis viris in hac materiá didici, hic tibi ingenuè dicam.

Mercurius figitur. Si ebulliatur in aquâ ſucci rutæ agreſtis, ſepties, aut plus diſtillatâ, adhibito inde & proiecto ſuper dictum ☿ induratum, ſucco portulacæ agreſtis, (quæ aliàs marina, & cornuta), ad maris littus excreſcentis. Fiat vtraq; ebulitio per horam, aut plus: ac prima quidem in tigillo, ſecunda verò in lebete.

Mercurius figitur & in hunc modum. Accipe ſalis Alkali partes duas, & adhibe ad ignem carbonum, & permitte fluere: & impone in hoc partem vnam ☽ fixæ, limatæ; facque item per horæ ſpatium inuicem fluant. Remoueántur ab igne tunc, & ſimul fuſa in lapide marmoreo multùm terantur, indeque ad locum humidum in aquam reſoluantur. Poſtea accipe partes quatuor ☿ ſublimati, quas dictâ aquâ imbibe, donec ex eá nihil ſuperſit. Tandem maſſam igni admoue, quæ liquefiat in tigillo. Hæc dicitur optima ☽ ad omne examen.

Tertia fixatio ☿ ℞ Mercurii ſublimati ℥ ii, quæ cum ℥ iiii ſalis præparati ſublimentur ad quaternam vicem. Inde imbibatur hic Mercurius ℥ ii olei tartari fixi, cui æqualis quantitas boracis admixta ſit: miſceaturque medicina cum tertiâ parte Lunæ de copellâ, calcinatæ ut ſupra, & ad humidũ diſſoluatur, indeq; ad ignẽ congelletur, & iterum diſſoluatur, iterumque congelletur, donec perfecta ſit: cuius pars in multas Mercurij cadit. Sed aduerte ſucceſſurum melius meo iudicio negotium, ſi iſtius medicinæ præparationi, addas arſenicũ, quod primó cum forti aceto bulliat, indeque cum æris fulgine ſublimetur, poſteaq; cum ſale præparato; multiſque ſublimationibus re-

petitis fixetur, & in oleum reducatur.

De fixatione Mercurij ait Philoſophus. Sal metallorum reſolutum, diſtillatum, & ad Solem congellatum, dat congellare Mercurium in cruſibulo.

Item ſal metallorum dat ſoluere Mercurium in aquam ſub fimo: & illud mixtum, & congellatum, eſt perfecta medicina.

Item oleum Saturni quo ſæpius imbibatur Mercurius ſublimatus fixus, multas aliorum metallorum imperfectorum partes tingit.

Ex Mercurii ſale medicina.

Sume ♀ & ♃ ana lib i, ex hiſque fac amalgama, quod laua cum aquâ clara; deinde exſicca; & exſiccatum tere ſuper marmor, cum lib. i, ſublimati. Sic præparatū diſtende, & pone in loco humido, ut in aquam reſoluatur. Hanc appone in uas vitreum bene clauſum, & ſine per aliquot dies quieſcere, donec à ſuis fecibus clara euadat: quam ita clarificatam, & per declinationem vaſis in aliud affuſam diſtilla, dum illius reſidentia bene exſiccata ſit; ſeruaque liquorem ſeorſim in altero uaſe ſigillato. Iſthinc ſumito antedictum uas cum fecibus, & materiam reſidentē calcina per viginti & quatuor horas, & poſtmodum ignem violentiſſimum extrue, & adauge per alias duodecim, frangeque uas; in cuius fundo materia fixa, & alba reſidebit. Hanc imbibe aquà ſuperius diſtillatà & aſſeruatá; atq; paulisper quieſcere ſine, donec ſupereminеat de nouo clara: de quá ad ſeptenam vicem magiſterium repete, imbibendo ſcilicet, diſtillando, coagulando, vltimumque coagulatum, (quod inſtar vitri chriſtalini verum ☿ ſal nuncupatur

cupatur

cupatur) cum aliquà parte Lunæ diſſolutæ fermentando: quæ ſimiliter, cum aquá, quam poſtremà diſtillatione ad partem ſeruaſti, & ſolui, & cōgellari debēt. Scitoq;, quantò plus id præſtiteris, tantò maiorem fore elixiris huius energiā: cuius pars vna ſuper xx Mercurii feruentis partes proiecta, eas in maſſam duram reducit; ac iſtius item una ſuper xx Veneris fuſæ, & repurgatæ, in ☾ ad omne iudicium. Deſumptum ex veteri codice Gallico.

CVM DE TINCTVRIS INTER CHIMICOS FREQVENS ſit ſermo, quaſdam Solares, & Lunares, quæ in ſecretioribus illorum libris reconditæ ſunt, hic ſequenter patefaciam: quas tuum erit exactè perſcrutari, dum nil niſi genuinum, & reale opereris.

Oleum tingitiuum.

SVmātur æquales partes oleorum Antimonii, Solis, & Saturni ſimul mixtę, & per dies xxiiii, igni fermētationis appoſitæ, diſtillatæ, ac per ſimile, ad minimum, tēpus, circulatæ: ex quibus fiat pecularis ad Lunam proiectio.

Item ſumatur auri puriſſimi per Draconē repurgati, & aliquo è cementis qui infrà deſcribentur, depurati ℥ i. Item Mercurii optimè purificati, & præparati, ut ſuperiùs

in tractatu de ☿ ℥ vi, fiat ex his amalgama;quod tere in marmore,per integrum ferè diem, additis huic,animæ Saturni ℥ iiii. Ponatur hoc ad furnum philoſophicum, ſecundum artem,igne lampadis lentiſſimo á principio,inde paulo fortiori, poſtea carbonum, poſtremòque violentiſſimo:dum ad rubicundiſſimum colorem,poſt alios uarios medicina peruenerit. Sed tu, quid facturus ſis vide,& non tam ex literali ſenſu,quám ex mente ſapientum,qui plerũque ſub vulgari ſpecie artem ocultant, operare.

RVBEÆ TINCTVRÆ MINERALES.

Accipe uas vitreum oblongi colli, luto ſapientiæ in fundo extrinſecus obductum,in quod impone ☿ repurgati ℥ iii. Bulliat hic aliquantũ in eo,& bullienti foliorum auri ℥ i, proiiciatur. Auferatur inde uas ab igne,& iſtis addantur, ſalis armoniaci ℥ i, ſalis Elembrot ℥ S, boracis ʒ ii, & ☿ repurgati ℥ viiii. Mixtis omnibus,ſigilletur ampulla,& igni per dies tres admoueatur; fiet puluis mineralis, tingitiuus; cuius proiectio in ☿ vulgarem cadit.

Accipe & ☿ vulgaris ℥ viiii. foliorum auri ℥ i,ſalis armon. ℥ i,ſalis Alkali,℥ i,ſulph. ℥ i,& boracis quantum ſufficit. Miſce,& pone in uas ſigillatum ad ignem, primò lentiſſimum,aucto poſtea calore;& ſic per duos dies ſtare permitte. Ex puluere reſidenti fiat proiectio ad Lunam fuſam.

Item accipe aquam fortem, cui proiice de ſale armoniaco quantum poterit in eâ diſſolui, addeque auri repurgati ℥ ii; quæ pariter in eà ſoluantur, & appone mixturæ huic,tantumdem Lunæ calcinatæ,& prȩterea ☿ ℥ ii. Bulli-

ant

ant ſupra cineres calidos, uſque ad conſumptionem totius aquæ. Inſignem mixturam aiunt, ſi cum borace liquefiat hic puluis.

Alia tinctura vero ſimilior. Sume ☉ cum ſulphure calcinatum, æs vſtum, vitriolum rubificatum, cinaprium, crocum ferri, è ſingulis ℥ i. Trita hæc imbibe aquá ſalis armoniaci, ac per diſtillationem deſicca, iterumqe nouâ aquâ imbibe, denuoque deſicca, idq; quinquies, minimùm repete, ac tandem materiam congellatam, cum nouâ aquâ ſalis armoniaci fermetandam, ac putrefiendam in fimum equinum adhibe; idque per menſem integrum, mutato fimo quolibet octiduo: quò fiet ut materia omnis in aquam metallicam reducatur: cuius modica proiectio in Lunam copellatam cadit.

Accipe quoque lapidis Emathitis, auripigmenti citrini, vitellorum ouorum, aluminis lameni, ana partes æquales. Terantur in mortario, & tritæ in uaſe vitreo, lutato carbonibus ignitis, per integram noctem ſuperponantur. Hanc mixturam, vtique in Saturnum cadere aiunt.

Cementa penetrantia, & tingentia.

Primum ℞. Salis armoniaci ℥ i, viridis æris ℥ iiii. Tere ſimul, & pone in olla ferrea ad ignem lentum, ut humiditas omnis euaporet. Inde ſume ſalis nitri ℥ i, vitrioli Romani calcinati, & rubificati ℥ S. Tere, miſce, & fac ſtratum ſupra ſtratum laminibus aureis. in tigillo, ad ignem cementationis, per horas quatuor.

Secundum cementum.

Accipe vitrioli Romani, & ſalis armon. ana partem

i, boli armeni, lapidis Emathitis ana partes ii. Pulverizentur ſimul, & præparatis ut ſupra laminibus fiat cementum, couſque dum fumigent.

Aquæ ☉ in colore multùm eleuantes.

Accipe calcis viuæ ℥ iiii, corticis ouorum ℥ iiii, ſalis armoniaci ℥ v. Miſce, & pone in ampullâ vitreâ, ſigillatá, ad locum humidum per dies tres, dum omnia reſoluantur in aquam: hanc per filtrum diſtilla, & in eam aurum ignitum ter, aut quater iniice.

Succus Chelidoniæ eundem effectum habere dicitur, item aqua maſticis diſtillata.

Sume & ſulphuris ℥ i, olei amigdalarum amararum ʒ i, ſalis cōmunis ℥ S. Diſſoluatur primò ſulphur ad ignē, cui poſtea addatur oleum, cum aſſiduá mixtione; ac tandem ſal; & ſic aliquantulum ſtent. Serua liquorem, & in eum quoduis aurum ignitum impone.

Oleum quod Solis laminas, nō modò in altiſſimum eleuat colorem, ſed & Metalla penetrat, cumque ardere haud poſſit, de nocte inſtar ignis, lumen præbet.

℞ olei communis ad libitum, in quod impone calcis viuæ bene tritæ, ſalis nitri, ſalis communis, ſalis Alkali ana partes æquales: oleum verò ſupereminceat quatuor digitis huic mixtioni in uaſe uitreato, vel æneo, aſſidueque cum ſpatulâ ligneá per ſpatium mediæ horæ agitetur, omniaq; ad ternam vicem, ſuper eaſdem feces, ſecundum

dum artem diſtillentur; quibus tum abiectis, imponantur noui pulueres in præfatum oleum diſtillatum, eodemque ut ſuprà modo miſceantur, diſtillētur, ac toties id fiat, donec illud, in elixinium candelæ appoſitum, ab igne arderi haud poſſit.]

Author quidam Italus recenſet inueniri ſalia mirabilis virtutis, & energiæ. Sal acidum, quod ☿ conſtringit, ac è ſtagno, & cupro Solem facit: aliquantum longum, ſed non craſſum, aceti ſaporem ferè habēs, quod alias Berach vocatur. Item & aliud in Hiſpaniâ reperiri, cui nomen alumen nigrum, quod Iouem in ſolem reducit: Aliudque prę-terea cui nomen ſapidum, ſiue Indicum; quod idem præſtare dicitur. Sed his, ni ſubſit occultatum aliquot miſterium, uel peculiaris præparatio, haud ita facile fidem adhibeo.

DE LVNARIA MAIORE, ET quæ de eà narrantur.

Hæc herba inſtar maioranæ folia gerit, ferè cerulei coloris: huicque nomen quoque Borriſſa. Lunaria verò nominatur, quia inſtar Lunæ creſcit, & decreſcit, & cum Luna diem vnum habet, hac herba folium quoque vnum geſtat; omnique die vnum illi, vſque ad decimum quartū creſcit: dumq; incipit illa decreſcere; hæc pariter, ſingulo die folium amittens; donec deficiente Lunâ, & tota plane deficiat.

Hanc incredibilis energiæ prædicant: ſiquidem, ſi in eius ſuccum ☿ imponatur, & bullire permittatur, in modū lapidis rubei euadet; cuius puluis ſupra cuprum liquefactum proiectus, in puriſſimum Solem reducit: ſed v-

nicâ

nicà ſaltem illius, ad centum æris partes ſufficiente. Naſci dicitur hæc, ad flumina, & ſuper montes, folia parua, & rotunda, inſtar nummorum gerens, fuſto rubeo odoriſero, ac lacteo, inſtar croci. Narrant & de eà, quod ſi huius aqua, uel ſuccus ad Lunã imponatur, in Iouẽ ea tranſmutabitur, & ſi in Saturnum, Sol fiet. Item ſi puluerem, vel ſuccum ex eius radice confeceris, & ad Martẽ impoſueris, fiet Luna: ſique hanc Lunam ad Saturnũ, fiet lapis. Itẽ ſi puluerem & folia dictæ herbę ad Lunam proiicias fiet Sol: & ſi iſtius pulueris aliquid in Venerem, aut Saturnum im̃ittas, fient Luna. Item ſi aliquid de ea in vinum, cum modico ſpicæ Romanæ adhibeas, & poſt octiduanam infuſionem ℥ iſtius uini ſingulo mane quis ebibat, cadent pili albi omnes, & naſcentur nigri, modó ſumma dieta ſeruetur, & lac vaccinũ pro cibo ſaltem inſeruiat: ſicque è ſene fiet iuuenis. Addunt & præterea, quod ſi quis gerat annulum, confectum ex auro artificiali herbæ huius, imponatque in illum Margaritam, in quà ſit ſculptus bos, qui caput piſcis habeat, & caudam pauonis, dictumque annulum lauet rore nocturno, & cerà virgine ſimul mixtis, & calefactis, iſthunc digito gerentem nil contrà poterunt maligni ſpiritus, imo boni omnes pręſto aderunt, & obedient. Hæc, etſi meras nugas, & ineptias ego ipſe exiſtimem, ut & pleriq;, fortè omnes: haud tamen magis ridicula crediderim, quàm quæ de herba Baaras author Italus in ſuo herbario recẽſet: quę ſe è Flauio tamen Ioſepho decerpſiſſe aſſerit.

Quo modo Mercurius in opere phyſico debeat repurgari, & quà ratione Luna diſſolui.

Sume

Su me arenam ad libitum, & cum aquâ dulci laua, donec clara hæc abſcedat. Exſiccatam arenam, quatuor digitis altam, colloca in vrinali, & huic poſtmodum ſuperpone ☿ repurgati quantùm lubet, ac forti igne diſtilla; inter dicto ſpiritibus Mercurialibus commeatu omni; ac diſtillabit in recipiens Mercurius: cuius aſſume partem dimidiam, & cum optimâ Lunâ præparatâ, calcinatâ, & incorpus reductâ, fac amalgama ſecundũ artem, hocque per corium exprime: Lunã verò, quæ in eo reſidebit, tere in lapide marmoreo, & tritam impone in uas vitreum oblongi colli, ſatis amplum, unà cum vini ſpiritu ad quatuor digitos ſupra ſtante; clauſo & ſigillato ſuperiori orificio: idque ad ignem lampadis lentum, abſque ebulitione. Fiet vt aqua rubeſcat, quæ tum iſthinc eximatur, & altera eodem modo toties ſuperaffundatur, donec viridis appareat. Hanc & ſeorſim collige, ac aliam ſuperaffunde, dũ totã in ea viriditate diſſolutã Lunam habèas. Segrega balneo, quo ſpiritus vini totus aſcendet, Luna verò in fundo vaſis optimè diſſoluta reſidedit.

DE LAPIDE PHYSICO.

Eſi arcani, tanti miſterium ſcrutai, nec inſtituti unquam mei fuerit, nec quæ ſequentur ita conſcribo, ut ad huius te inueſtigationem velim cohortari, tamen prout ex inſtituto liberali tibi ſuperiora, ita & ſequentia hæc á viris inſigniter doctis emanantia, & aliquali ſaltẽ lecturâ mihi perſpecta, tibi reuelare necdum denegabò; ſi modo ad Dei gloriam omnia retuleris.

PROCEDENDI MODVS IN OPERE PHYſico, non ita veteris cuiuſdam philoſophi Belgæ teſtamento relictus heredi filio.

E manuſcripto Gallico.

NOta quod ars omnis, & magiſterium, in corpore recondito in magneſiâ ſitum eſt, ac ſine eo nil fit. Sume igitur ad Dei gloriã, in bonâ quantitate, hoc ac ſepties, aut pluribus etiam vicibus in hunc modum para. Coapte tur ante omnia in partes tenuiſſimas, & impalpabiles, corpus iſtud, indeque ſoluatur ſecundum artem, in uaſe vitreo. Filtretur liquor, & decoquatur: quod remanet aſſiduâ mixtione moueatur, haud attingente ferro, donec tenuiſſimus, æqualis, & multùm exſiccatus puluis remaneat. Coquatur & ad fortem ignem hic, ſed mutato uaſe, & adhibito altero, forti, terreo, dum caueas à fuſione. Idque toties magiſterium repetatur, quouſque materia ſit fuſibilis, ut cera. Huius in hunc modum præparatæ, accipe quãtum uis, & in aquâ forti, confectâ ex partibus duabus ſalis nitri, & parte unâ aluminis, diſſolue ſeorſim in vaſe vitreo. Iſthinc, imponito in aliud vas iſtiuſmodi aquæ quantùm lubebit, ac in eá fermenti ſummè depurati partem, ad ſuperius corpus dimidiam, diſſolue, cum tantillâ ſaltem, quæ ad magiſterium requiratur. & non amplius. Aquæ verò eiuſmodi, claræ, & pellucidæ, abſque fecium reſidentiâ ſeorſim ſolutæ maneant: quo peracto, aquam ſecundam, in

quà

quà diſſolutum fermentum eſt, alteri quæ corpus diſſolutum continet iniice, ac miſce: confeſtimque ea mixtura turbida fiet, petetque illud fundum: in tantum, ut vas tantillũ mouere, indeque ad cineres calidos apponere neceſſe ſit; donec aqua viridis, & clara ſupernatans appareat; ab omnibus fecibus aliena; quæ lente, & cautè iſthinc remoueri, & in aliud ſeorſim vas apponi debet: illiuſque loco, noua altera eiuſdem qualitatis, ſuper coagulum immiti, & ad cineres calidos cũ aliquâ mixtiõe locari, donec omne coagulum in aquam albiſſimam habere poſſis: fermentum videlicet cum corpore, abſque fecibus coniuncta, homogeneata, & res vna effecta.

Imponatur ergo ea homogeneatio in cucurbitam, cum alembico, bene lutato, exſiccato &c. & balneo maris lentiſſimè diſtilletur, donec flegma aſcenderit, & acidi aliquid guſtare incipias: vas verò abſque alterâ ignis amotione, in præfato balneo frigeſcat; ita clauſum, ut nullus vapor emanare poſſit: cui medicinæ laminæ aliquot Lunares addantur, & iſtis illa, quantas diſſoluere, ac digerere poterit, ad ignem digeſtionis fermentetur: à quo tandem remoue; iterumque materiam omnem per decem dies digerendã, atque putrefiendam balneo tepido, & æquali admoue: ita ut hic, iuxta Philoſophũ operèris, inquientẽ quod putrefit fit aqua vera; eaque diſſolutio calido, & humido fiat. Licet autem ſic ſoluta medicina frigore coaguletur, haud perfectè tamen: eamque coagulationem ad cineres calidos fieri neceſſe eſt: quæ ſi denouo, ac pluries ut ſupra dictum eſt, digeſtionis calore diſſoluatur, & poſtea congelletur, toties & ad infinitum pene, creſcet proiectionis huius uirtus. Aduertatur verò exactè ne quicquam reſpiret,

vel effractum ſit, fiatque à principio coagulationis huius, lentiſſimus ignis: ad quē xxiiii horarū ſpatio medicina congellabitur: ſicque habebis elixir ad album: cuius proiectio in Venerem præcipuè cadit. Ergo huius accipe ℥ vii, & in tigillo liquefac ad fortem ignem, cui addatur ℥ i Lunæ repurgatæ, aſſiduè, & abque vllius ferri contactu commixta; ac tandem huius elixiris ℥ i. Notaque in omni iſtius, & aliorum omnium proiectione, neceſſariam eſſe corporum perfectorum commixtionem, ac demum elixiris proiectionē, illudque eſt quod aiunt philoſophi, tria eſſe neceſſaria.

Idem ordo qui antea deſcriptus eſt, ad elixir rubeum, ſeruari debet, niſi quod fermentum rubeum, poſt exactam depurationem, ſequenti cemento ſepties purificandū eſt; dumque materia fermentanda erit, putrefactionis tempus ad xxxx (minimùm) dies protrahendū, ac prout peculiari cibo elixir albū refectū eſt, ita & hoc, proprio etiā, & hōogeneo debet enutriri. Notaq; huius proiectionē, peculiarē ad Lunam eſſe, eádem quantitate, proportione, & admixtione fermenti ſeruatà, quæ in elixiri albo.

Cementatio Solaris pro opere ſuperiori.

Accipe ☉ Mineralis, & tantundem Veneris nouæ: quæ ſimul liquefiant, & in tenuiſſimas adaptentur laminas, inſtar aurei vnius; in aceto forti aliquantū maceratas. Hinc accipito lateres ruberrimos, bene exſiccatos, & tritos: inſuper & ſalis præparati quantùm ſufficit Habe item vitriolum, in hunc modum præparatum. Diſſoluatur hoc in aceto forti diſtillato. Filtretur, ac diſtilletur acetum, ſeu euaporetur;

uaporetur; reſidente vitriolo ruberrimo, quod in puluerẽ tenuiſſimum reducatur, qui & cribretur. Accipe etiam viride æs, eodem modo præparatum ac vitriolum, itemque ſubtiliſſimè tere. Sume & ſal armoniacum, in aceto quidẽ, ſed rubro, non diſtillato, ſimpliciter diſſolutum, & exſiccatum; illudque ad pondus omnium. Ex quibus omnibus ſimul mixtis, fiat cementum, ſecundum artem, ad laminas antedictas, per horas xxiiii, ac ſepties cum nouis pulueribus, & Venere reiteretur. Cumque ad furnũ reuerberii hoc fieri debeat; extruatur à principio ignis carbonum lentus, poſt horã, uel circiter adauctus; indeque ex lignis ſicciſſimis, quæ non fumigent.

Ad perfectionem huius operis ait author: Sumatur elixir rubeum, & ad putrefactionem per dies xxiiii, ſeruato ſuperiori regimine adhibeatur. Accidet ut Elixir denuo reducatur in aquam; cui tantumdem ☿ ſublimati, cum ualidâ mixtione, & vaſis agitatione; modò ne illud frangatur, addi debet, indeque materia ad ignem digeſtionis, per quatriduum, demumque ad congellationis, ſeruato illarũ exactè regimine apponi: quo pacto, ut idem inquit, perficietur ſummum naturæ humanæ opus.

Sublimatio ☿ ad elixir Solare.

Accipe ☿ lib. i, vitrioli Romani lib. ii, & ſalis ſemel præparati lib. i. Reducantur hæc poſtrema duo in puluerẽ ſubtiliſſimum, & in aceto forti rubro macerentur, quibus poſtea Mercurius addatur, & incorporetur. Adhibeantur inde, in ſublimatorium, ad lentiſſimũ ignem, per horas xii, ſaltem ut exſiccentur, & acetum euaporetur. Dumque, per ſuperius foramen fumum emanare proſpexeris reclude il-

lud, & per horas iiiii, ignem paulatim adauge, ut tandem ſit validiſſimus, & è lignis ſicciſſimis extructus, dum præfati Mercurii pars ſublimetur; alterá in vaſis fundo remanente. Hæc ſublimationis operatio abiectis fecibus, ac ſuperadditis nouis materius ſepties iterari debet, ſi præfato operi aptam expetes.

Idemque ſublimationis ordo omnino ſeruari, in elixiri ad album, niſi quod vitrioli Romani loco alumen cũ ſale nitro in pari quantitate ſumendum eſt.

Explicit antedictum opus, ex amplo ftagmento ſummariè collectum.

RAMVS AVREVS AB ITALO SIC VOCITATVS; CVIVS DEScriptionem, de verbo ad verbum; abſque idiomatis immutatione, hic interſerui.

O *Tu, alle cui mani peruerrà il breue, ma realiſsimo ſcritto che ſegue, volendone veder l'effetto, raccordati che ti conuiene ſtabilir nella mente tua, di non t'appropriare piu di quello hauerai di biſogno, & il remaneute diſpenſare a gloria di Dio, & particolarmente in eſſecutione di quello, ch'egli comanda, mentre adetto :* quod ſupereſt date pauperibus : *& quando ti ſentirai impreſſo nel cuore, queſto ſanto penſiero, con animo ſiguro, & franco metti pur la mano à lopera, ch' hora ſono per ſcri:*

uere-

uere, che indubitatamente la trouarai vera. Ti pregho in tanto, di raccordarti anco a tal hora di preghar l'iſteſſo Iddio per la ſalute mia, faccendo per conoſcimento del mio zelo; dal qual ſpinto, non ho curato di contrauenire ai precetti de Philoſophi, che probibiſcono di parlar chiaro, & continuamente, ſenza framettere diſcorſi lunghiſsimi, & tal uolta alieniſſimi dall'arte: come hanno fatto eſsi nelli libri lōro; conliquali per lo più, hanno più toſto offuſcati gl'intelletti dell'indagatori, che elucidati. Et torno a dire, che non dubiti di far errore, ſcriuendo come ſono per ſcriuere: aſſigurato, che il medemo Dio, il qual da peccare in poi, ogni coſa, può, potrà & ſaprà anco, quando ben queſto mio ſcritto perueniſſe alle mani di homini indegni di quello, ſturbar ogni propoſito, & impedir ogni effetto ch'egli preuegha non eſſere per terminar a gloria ſua: & per comminciare.


Piglia orina di giouene robuſto, che non beui aqua, & da quella caua il ſale, & da queſto ſale preparato prima come ſai, & incorporato col materiale che ſai, cauane l'incombuſtibile che ſai. Cio fatto.

Piglia detto incombuſtibile, & in quello metti i doi corpi perfetti, preparati; ſeparatamente però, in poluere, facendo poi nella ſtorta paſſare il tutto, che coſi auerra (ne dubitare) nel recipiente poi.

Piglia detto incombuſtibile con i corpi ſoluti con quello, & con eſſo paſſati nel recipiente, & mettili a bagno Maria volgare, & ſoauemente diſtilla l'incom buſtibile: che diſtillerá, ſeparandoſi dalli corpi, & quelli laſſiando in fondo dell'orinale auiuati, belli, & lucenti.

Piglia di eſsi, & oglio di Antimonio ana ℥ i, & mettili in vaſo di vedro, la cui forma vedrai chi preſſo diſſegnata, che ſia tanto grande che la materia non occupi più del terzo, inde ſigillatolo,

& aggiuſtata prima lamminiſtratiõe del cabore, che faccia leffetto che ſai, nel coruzuolo anco qui preſſo diſſegnato; dentro al quale ui porrai tanta ſabia, che ſi poſſa ſepelire eſſo vaſo, fin a lalteſſa della materia, & ui darai fuoco per noue meſi, miniſtrando il calore del primo grado, per tre meſi & mezo, indi accreſcendo il ſecondo



grado per doi altri meſi, & il terzo grado per doe altri finalmente id quarto grado per il compimento di detti noue meſi: quali finiti, ceſſa lamminiſtratione del calore caua il uaſo, & da quello la materia, purificandola da qualche ſporchezza che gli hauera laſciato l' oglio ſopradetto, & indi fane proiettione ſopra cento parti di Mercurio, che hauerai oro puriſſimo.

Et compita la medicina nel modo ſudetto, ſi moltiplica ſino alla ſettima volta, & a l'hora, oltra la quantità, ſara di tanto moltiplicata la qualitâ, & virtu del foco di eſſa medicina, che vna parte caderà in proiettione ſopra dieci mila di Mercurio ripurgato, riduccendelo al'atto del oro puriſſimo. Etiam la grandezza della proiettione è la manca difficolta, che ui è nel far queſto branco, di quella che ſi troui nel far lopera maggiore, ſara di puoca ſtima: anzi penſo, che ſi debba ſtimar tanto, quanto ſi farebbe eſſa opera maggiore: ſtante il pericolo nel far quella, che di ſopra.

Tertia

Tertia deſcriptio lapidis phyſici; in antiquo monumento Bononiæ reperta.

Accipite corpus antiquum, pellucidum, & vaporoſum, illudque per triduum aſſiduè decoquite: quod remanet, ab immunditiá ſeparate, iſtudque acetum acerrimum igne graduali diſtillate, donec fumi in recipiente appareant. Hoc tunc amouete, aliud ſuperponentes, & liquorem, qui emanabit ſeorſim aſſeruate Materiam verô nigrá inſtar gummæ, in vaſis fundo reſidentem, quia multùm eleuatur, ac diſtenditur, in amplam cucurbitam admouete, luto ſapientiæ ſic obductam, ut ad materiam contentam in ſuperiori parte proſpectus pateat; ac lentiſſimo igne diſtillare incipite, & paulatim aucto pergite, dum ſummà caloris intenſione, inde ſpiritus eliciatur. Igneũ hunc, & rubei coloris, haud prius iſthinc remouete, quàm furno, & vaſe per integrum diẽ refrigerato; balneoq; Maris, ſuauiter ac toties diſtillate, vt ſummè depuratus, abſque fecibus tandem aſcendat. Sed cucurbitæ ſuperioris fundo, è quá ſpiritus hic extractus eſt, corpus inſtar lapidis, duriſſimum remanſit. Hoc in ſubtiliſſimum reducite puluerem; & in aquam calidam, à primo corpore extractam, & aſſeruatam ſoluite. Iſthanc depurantes, & exſiccantes, dum ſal albiſſimum reſideat. At frequenter hoc repetendũ eſt, & quòuſque omnis impuritas abſit. Id quod innoteſcet, ſi quæ ab eiuſmodi ſale, per diſtillationem elicitur aqua, nil impuritatis in euaporatione relinquat. Hoc ſal ita preparatum, quartà parte ſpiritus, ſuperius extracti, imbibatur; vnàque ad furnum caloris humidi, per octiduum fermentetur, in-

deque exſiccetur, ad cineres, & poſtea quartâ alterâ denuo humectetur, denuoque fermentetur, & exſiccetur, donec proprium ſpiritum totū ebiberit. Apponite tum ſublimationi ſecundum artem, quæ fiet alba ut nix, verumque naturæ ſulphur. Indeque cum corporis perfecti fermento ſecundum artem per ſexaginta dies decoquite: eritque verum elixir ad album; ac ſi ad rubedinem vſque in decoctione progrediamini, additis à principio, fermenti Solaris partibus decem, fiet elixir rubeum.

AXIOMA Philoſophi de Lapide Phyſico.

Lapis noſter nihil aliud eſt quàm ſpiritus fœtens, & aqua viua, quam & ſiccam nominamus, per naturalem proportionem mundata, & vnita vnione tali, quòd ſibi amplius abeſſe non poſſit.

De hoc Theophraſtus, ℞ ☿ in eleuatione tantiſper, dum in fixum chriſtallum abeat, deinde in reſolutionem, & coagulationem digere, & cum auro coniunge: ita ut fermentum eius hoc ipſum fiat, & iuxta præſcriptum Hermetis age, vſque ad finem lapidis: cuius doſis à reuocandâ morte granum eſt.

Sed de hac Lapidis Phyſici materiâ, atque adeo de rebus Chimicis ſatis ſuperque: itaque ad alterius generis deſcriptiones venio.

DE VARIIS EXPERIMENTIS; PARS HVIVS OPERIS poſtrema.

Modus conficiendi vniones artificiales.

SVme vniones minutiſſimos, orientales, ad libitũ, quos reduc in pulucrẽ tenuiſſimum, & colloca in uaſe vitreo oblongo ſtricti orificii, iſtiſque affunde ſucci limonum acidorum, per filtrum ſumẽ depurati, tantum, ut quatuor digitis ſupereemineat; addito ſale præparato, ad doſim quartæ vnionum partis. Maneant hæc ad lentum calorem tantiſper, dum prçfatus vnionum puluis, inſtar mellis albi, ſeu paſtæ liquidæ fiat; aſſiduèque moueantur; quò citius abſoluas.

Hoc ſtante Declina ſuccum ab vnionibus; ac ubi aliquantùm, ſed igne lentiſſimo eos exſiccaris, acetum diſtillatum acerrimum iſtis, alterius primi liquoris loco ſuper affunde, ac ni in ampullã, iſto repletã, Hermeticè ſigillatã manere velis (etenim huius magiſterii perfectio in ſummâ ui, & actione aceti conſiſtit) adhibe huic & aliud ſuperius, eiuſdem formæ uas, cuius collum, in huius orificium adaptetur : ac ita luto obductum, ut nullius reſpirationis periculum ſit, ea verò unà cum materiâ reponantur ad locum frigidum, & humidum, per dies ad minimum xx: quibus accidet, vt dicti vniones planè diſſoluantur, ac inſtar Mercurii vulgaris fluant. Hoc ſuccedente, effracto, ſeu a-

perto vaſis collo, declina acetum ac diſſolutioni aliquid olei ouorum recens expreſſi, & tertiò ſuperaffunde, ac miſce, donec materiam, naturalem vnionum colorem contraxiſſe videris: tumque adhibe in formas argenteas, affabrè factas, & ſummè politas, eius magnitudinis, quam tibi tu antea elegeris: in quibus nil vacui, ſed materiâ vndequaque repletæ, & per integrum octiduum ſtrictè occluſæ. At unioni, dū adhuc mollis eſt, & ſupradictę formæ reſidet, tenue cum acu argenteo, foramen conficere memineris: qui dum inde exemptus fuerit, bulliat cum lacte vaccino recenti, multùm depurato, ſed in ollâ argenteâ, aut vitreâ: ac tandem in loco, à ventis, & puluere ſecuro, in uitro, ſeù argenti laminá, ad vmbram lentè exſiccetur.

Modus diſſoluendi, & indurandi vniones abſque ullo contactu liquoris.

Accipe lac acetoſum, dum caſeus extractus eſt, & appone cum calce viuâ, quatuor digitis ſupraſtans, in vaſe vitreo, ſub terrá humidà per dies quatuor. Exime tandem, & adde de lacte titimali, quantùm capiat oui teſta, & per diem vnum dimitte, ut reſideat. Exprime poſtea per filtrum; tandemq; appone vniones, inter binas oui teſtas, & has in aquam illam diſtillatam, per dies xxxx, uel plus; inueniesque mollificatos: quos forma ad libitum, in formis argenteis, &c. & formatos, in alias pariter oui teſtas, ſed ad Solem adhibe, dum dureſcant.

Modus dealbandi vniones quoſuis.

Multæ

Mulcæ ad hoc opus viæ ſunt. Sumitur os ſalpæ, è quo diſtillatur aqua, in quam debent vniones immitti.

Item ſumitur alumen vulgare, cum aquâ communi diſſolutum, in quam & gumma, cum tartaro paulum bullierit: in quam vniones imponuntur.

Nonnulli ſumunt aquam, è therebentinà extractam, primam illam videlicet, quæ dum fumi oriuntur, ſtillare incipit: in quam vniones immergunt: quos &, ſummè albeſcere, ac ſuperficiem illam nigram, & obſcuram deponere aſſeuerant. Sed omnium perfectiſſima, meo iudicio, ſuccedet operatio, ſi in aquam, uel oleum talci, vniones imponantur.

DE LAPIDIBVS ARTIFICIALIBVS, ac primùm de Corallo.

Corallum ſequenti modo diſſolui, inque naturalem, & genuinum reduci, ita ut replendis formis ſit aptus, author eſt Gallus Philoſophus. Fiat primò aqua fortis eiuſmodi. ℞ vitrioli Romani, ſalis nitri ana lib. i, cinaprii ℥iiii. è quibus fiat aqua fortis Regia ſecundum artem.

Diſſoluatur in eà corallus rubeus, minutiſſimè tritus, qui in vaſis vitrei rotundi fundo, ſeu in paſtam reducetur. Eximatur hæc per declinationem, & vice ipſius altera communis diſſolutioni ſuperaffundatur; fiatq; id toties, ut nil acre remaneat. Eximatur inde paſta hæc, & ex molli teneràque, formetur quiduis, in formis oleo amigdalarum dulcium linitis, & formatum in pane, è farinà ſegalæ confecto, per noctem adhibeatur.

Corallus veró artificialis in hunc modum præparatur. Fiat lixiuium fortiſsimum, & in illud, raſura cornu mollis; ac tran-

ac tranſparentis imponatur, donec tenera, & in modum paſtæ fiat. Hanc cum cinaprio, aut altero colore miſce, & incorpora, ac antequam dureſcat, in quaſuis formas, oleo amigdalarum dulcium linitas, adhibe.

Hic ita quoque præparari poteſt. Fiat capitellum è calce viuâ, in quod impone raſuram cornu cerui albiſſimi, illud verò aliquantùm liquidum ſit, ac per nouem dies ita ſtet. Iſthinc bulliat ad ignem, & bullienti gummæ dragantis, & Arabicæ, bene tritæ, aliquid addatur, tandiuque moueantur hęc, dum fiat bona commixtio, & incorporatio: quibus adhibe cinaprii triti, quantùm ad naturalem, & genuinum colorem ſufficiet. Remoue tandem paſtam hanc ab igne, quæ frigefiat, dũ teri manibus poſſit: ex quà formetur citiſſimè, quod lubebit.

Aliqui ſumunt raſuram cornu bouis albi, & in lixiuium forte, per dies quindecim apponunt, ebulitione validâ ſequente, dum liquefiat; liquefactam colant, & colaturam cinaprio tingunt, exſiccant, & puluere tripoli formatum confricant.

SMARAGDVS ARTIFICIALIS ita præparatur. Sume lapidem Lazuli, & appone in uas terreum, vnà cum azuro vltramarino, ita ut iſthoc lapis tegatur, nec in præfato vaſe proſpici poſſit: uas verò bene occludatur, & foti luto muniatur, adeo ut non reſpiret, ac in fornacem vaſorum fictilium adhibeatur, donec finita ſit coctio. & per quatuor horas vlterius. Frange tandem hoc in quo quæſitum reſidebit.

RVBINVS ARTIFICIALIS. Accipe ſalis alkali ℥ iiii, chriſtalli puluerizati ℥ iiii, limaturæ ferri ℥ S, funde ſimul.

Nota

Nota verò quod lapides artificiales dignoſcuntur, ſi ad ignem appoſiti fumigent: item ſi igniti, & in acetum proiecti, colorem mutent.

AMBRA ARTIFICIALIS. Accipe xx ouorum albumina, & cum ſpatulâ ligneâ tandiu tere, ut per ſpongiam expreſſa, reducantur in aquam limpidam. Hanc, cum croco quantùm ſufficit colora, ac per pannum lineum exprime, idque ſæpius, & gummam arabicam pellucidam adde, dum in eâ diſſoluatur, quodque diſſolui haud poterit, remoueatur. Hæc appone in uas vitreum oblongi colli, ſigillatum, ad ebulitionem, in caldari aquâ pleno. Sed nedum per octauam partem ſemihoræ. Extrahe, & vaſe confracto, ex materiâ adhuc calente, forma quod lubet.

Diſſolutio, & congellatio omnium lapidum prætioſorum.

Confringantur lapides diſſoluendi ut cumq;, & imponantur in aquã; confectam ex lacte caprino, acetoſo, ad uas vitreum ſigillatum, ac recondantur ad humidum per dies xxxx, donec molles fiant. Abiice tunc humiditatem ſupernatantem, ac inter binas oui teſtas, quod reſidebit adapta, & colorem qui magis arridebit adhibeto, necnon ad Solem, donec dureſcant apponito.

Colores lapidibus prætioſis conuenientes.

Zaphirus fit ex azuro imo, & ære uſto. Smaragdus ex ære viridi. Rubinus ex cinaprio, & croco ferri, Toppazius ex plumbo vſto, cum modico tartari, ſimul combuſti; Amatiſta

matiſta è magneſiâ purâ combuſtâ cum modico croci ferri. Color vero Rubini verus hic. Accipe cinerem fraxini, & fac lixiuium, in quo pone, è ſemine purpuræ, quantum volueris: bulliantque in vaſe vitreo, vſque ad exſiccationem, quibus adde aliquid maſticis ſub finem, & miſce aſſiduè, ut incorporentur.

DE CRISTALLO.

Criſtallus liquefit, ac in formas proiici, & adaptari idoneus eſt, hoc pacto. Accipe criſtalli lucidiſſimi partes duas, ſalis armoniaci partem vnam. Ponantur ad ignem fuſionis in tigillo bene coperto, & lutato per horas xxiiii. Hinc ſumito ſcatulam ferreã, abſque coperculo, puluere Tripolis mediè plenam, in quo ſculptum ſit, & incauatum quod uis efformari: medietas verò altera, Chriſtallo ſuperius præparato, liquefacto, infrigidato, ac ſubtiliter triturato repleatur, demumque ad fuſionis ignem, iſthęc, eo pacto adaptata, & bene coperta collocentur. Fiet ut puluis chriſtallinus denuo, & abſque difficultate fluens concauas in altero latere, formas, æquè repleat. Refrigeretur paulatim, & confectum erit.

Sed aduerte, in primá fuſionis operatione, tigillum debere abrumpi, partesque chriſtalli lucidiores, & tranſparentes, ſaltem eſſe aſſumendas.

CHRISTALVS MOLLIFICATVR ſi ſumas ſanguinem agni, & caſtrati, ſimul mixtum, & in hunc chriſtallum candentẽ, & ignitum proiicias. Fiet paſta, ex quà confici quid libet in formis poteſt, quod mirũ in modũ, ad aerẽ indurabitur. Si vero criſtallũ abſcindere, & ſine negotio reſecare velis, appone in ſanguinem Hirci calidum, & inſtar plumbi

plumbi mollis fiet, ita ut, ſeu calamũ, hunc ſecare poſſis: qui poſtmodum frigore indureſcet.

Aliqui aliter ſic mollificant. Accipe aluminis communis, cum forti aceto triti, & cum eo cocti, in tantum, ut acetũ euaporetur: teratur iterũ illud, iterumque cum nouo aceto decoquatur, & exſiccetur; idque ad quartam vicem. Iſthinc, coagulatum hoc, in fimum equinum calidum per dies ad minimum octo impone, dum in aquam reſoluatur, in quam criſtallum immitte. Nonnulli & hoc pacto liquefaciunt. Fiat puluis ſubtilis è criſtallo, qui per dies decem imponatur in acetum, in quod alumen commune primò diſſolueris. Extracto, vel euaporato aceto, exſiccato pulueri adde medietatem plumbi aduſti, & abſque difficultate liquefiet, ac liquefacto ad placitum uteris.

CRISTALLVS TINGITVR. Accipe cinerẽ ſtraminis frumenti, uel ſegalæ, & ex eo fac lixiuium cum calce viuâ, bulliatque illud, vſque ad conſumptionem medietatis, cũ quo diſtemperetur quilibet; color; quo poſtmodum criſtallus adhuc mollis tingatur, in aquam frigidam immiſſus.

DE VITRO.

Vitrum fieri admodum durum, & quaſi maleabile accepi, ſi fiat aqua per alembicum, ex raſurâ vnguis equini, in quam vitrum recẽns factum, ignitum adhuc, & candens iniiciatur: idque ad minimum ſexies. Tandemque ſic præparatum, & ignitum, in ſuccũ vrticis immittatur.

Nonnulli, hyrco, per tres aut quatuor dies, hæderæ folia, & aliud præterea nihil, comedenda præbent, qualibet die, eius vrinam cum ſanguine recipientes; ex quibus cum

cinere, facto ex herbâ fœlice, curāt ad fornacem vitriariorum vitrum confici.

Vitreum vero quodlibet uas, igni quantumuis uiolēto infractum reſiſtit, ſi cum oleo communi, per horas ad minimum ſex bulliat: at caue ne citius, quàm par eſt, refrigeretur, ob periculum fractionis raſis.

Succus herbæ parietarię, vitrum pariter á fractione conſeruare dicitur.

Artificium ſingulare, facile & magni valoris apparens, quod vili tamen prætio conficitur.

Accipe oſſium viridis coloris confractorum, limaturæ æris, matris perlarum (quam vocant), quantum volueris, ceram Hiſpanicam tritam, ad pondus omnium. Iſtis pulueribus reple quam volueris concauitatē, & ferrum ſeu laminam candentem, prope admoue: ut mediante cerâ liquefactâ, vniri, ſimul, & connecti ea omnia poſſint, fiantque ſeu lapis vnicus, in plano diſtenſus: qui poſtmodum ad molam ut ingſiniter perpoliatur, & partibus omnibus adæquetur, debet admoueri. Hoc artificium ad tabulas, parietes, & alia quæuis, ad placitum adhiberi poteſt; modò caueatur, ne illud ignis attingat.

Ferrum, inſtar chalybis Orientalis præparatum.

Accipe laminas tenuiſſimas ferri, & in acetum forte, rubeum, per horas viginti quatuor dimitte. Adaptentur inde ſtrato ſuprà ſtrato, & fiat maſſa, filo tenui ferreo colligata:

ligata: quam appone ad fornacem opificum, ut candeſcat: & ignitam ſuper acudine, malleo validè percute; hinc inde voluendo, & reuoluendo donec aſſiduá percuſſione, & frequenti, multoque ignis calore, fiat maſſa vnica, quæ tantillo moſci, dum calet, confricetur,

At ſequens præparatio magis arridet, cuius aliquando praxim & ipſe vidi. Sumatur ferrum è loricis vetuſtis, & rubiginoſis: quia tale melius; quod candens, & ignitum eo quo ſupra dictum eſt modo connectatur, teratur, vertatur, & per longum tempus, frequenter igni appoſitū, malleo percutiatur; donec è millenis fibulis ferreis, vnicum ſaltem corpus, & maſſa, uariis illis, ac multis dictarum fibularum notis eleganter inſignita fiat; ex quá formetur gladius, ſiue quodlibet aliud, & efformatum, affabrèque factum, immergatur candens in aquam plantaginis, uel vrinam; indeque ad molam acuatur, ac tantiſper aquá forti ordinaria liniatur; & oleo communi ſubſequenter. Denique ſumatur lignum aliquod, non ita durum; cuius extremitati, aliquid moſci in pannulo lineo alligati annecte, eoque ligno, ab eâ parte chalybem ſic pręparatū tandiu confrica, donec aſſiduo motu multùm calefiat: quà contritione ſummum odorem acquiret.

FERRVM MOLLE.

In aquam corticis fabarum, ſi ferrum candens ſæpius immittas; habebis, inſtar plumbi, molle: & ſi poſtea, in vrinam, vel aquam plantaginis proiicias, habebis duriſſimum.

Aqua quæ ferrum corrodit.

Accipe acetum fortiſſimum, viride ęs, & ſalarmoniacum; diſſolueque ſimul, ac ſi ſcribere velles. Hinc appone ceram, ad partem ferream, in quam imprimi, & efformari aliquid expetis, ac in eá cerà, ſcribe quod lubet, ſed profunde ſatis, & ad ferri ſuperficiem uſque; cum debità literarum, ſeu formæ cuiuſuis incauatione: ac denique foramina, ſeu diſſecturas illas, præfatà aquâ per noctem reple.

Vnguentum, quod ferrum ſic attenuat, ut facilè poſſit infringi.

Accipe carbones è ligno combuſto ſalicis: ex his nempe ℥ ii, uitri Alexandrini, vitrioli Romani, ana ℥ i. Miſce, & diſſolue cum aceto forti, in modum vnguenti. Poſtea ſume è dicto ligno, aut quercus etiam, partem aliquam, palmâ vnà longã, medio perforatam; in cuius vacuitate, præfatam compoſitionẽ, ſtrictè occluſam appone, dictumque lignum, ſeu baculum poſtea combure, ut inſtar carbonis nigrum fiat. Hoc tum confringe, reperiesquę in eo quod ferrũ mollificat, ſi per noctem ſaltem, hoc illo veluti unguento linitum relinquatur.

DE ARMIS.

Armatura quantumuis leuis, in ſuccum herbæ porri, diebus canicularibus, ignita, & candens, aliquoties immerſa; tantam duritiẽ acquirit, vt validiſſimo cuiuis ſclopeto reſiſtere poſsit. Idem de ſucco plantaginis aſſeritur.

Remedium ad armorum conſeruationem in ſummâ munditie eſt, ut accipias plumbum limatum, illudque in mortario mundo cum ſputo aſſiduè teras, quaſi in puluerem

rem redactum. Sic præparatum adhibe in uas, in quod, oleum commune optimum impoſueris, bulliantque igne lento, vſque ad quartæ partis conſumptionem, cum aſſiduâ motione, & mixtione. Hoc, ad ſuperiorem vſum aſſerua, & vnctione utere.

Armorum, & gladiorum præſertim, quibus duriſſimi, acutiſſimique redduntur, temperies aliquæ.

Accipe ſalis communis, auripigmenti, cornu hœdi aduſti, ſalis armoniaci quantùm lubet. Reduc iſta in puluerem, & miſce: dumque præparandum ferrum ſapone nigro vnxeris, in illis hoc inuolue: & inuolutum, ad fornacem candentem appone, ut rubeſcat: cumque ſummè ignitum feceris, proiice in vrinā hominis; ac ſi melius expetas, operationem repete.

Vel combure calceos vetuſtos, & miſce puluerem, cū ſale trito, raſurâ cornu aduſti, & vitro pulueriſato: dumque ferrum in vrinam ignitum primó inieceris, hoc puluere, uti ſuprá, inuolue; ad ignem pone, & adhuc in vrinam.

Accipe ſimiliter vermes, & fac de iis aquam per alembicum, & de radice raſani, & de radice porri, haſque omnes aquas miſce, æquali pondere; & in eas, ter, aut quater ferrum candens immitte.

Valent & pulueres ex raſano, vitriolo, ſerpentariâ, & galangâ, cum euforbio, triti, mixti, & adhibiti ut ſupra.

Pulueris tormentarii, ut magna quantumuis copia, tutè, & abſque ullo damni metu, conſeruari poſſit.

Sumantur arenæ minutiſſimæ, mundiſſimæ, prout illa eſt, quæ in clipſedris apponitur, ſumantur inquā partes duæ, pulueris verò tormentarii, pars una ſaltem. Miſceantur, & aſſeruentur ſimul: dumque vſus premet, per cribrū tenuiſſimum denuo ſeparentur.

De varii generis ignibus.

Ignis volans, componitur ex parte vnâ ſulphuris viui, partibus duabus carbonum ſalicis, & ſalis nitri tribus.

Pręparatur & ex parte vnà picis Hiſpanicæ, ſulphuris itidem vnà, ſalis nitri tribus, olei laurini, & olei petrolii duabus & mediá: in quæ olea, præcedentia diſſoluantur, & in cannulas poſtmodum adaptentur.

Nonnulli præcedentes doſes haud ſeruant, ſed ex ℥ ii ſulphuris, & ex totidem carbonum, additá librâ integrâ ſalis nitri, compoſitionem præparant, adaptantes in formas ut ſuperius, inque locum calidum, & ſiccum aſſeruantes.

IGNIS Gręcus ardens in aquà, Accipe carbones ſalicis, ſal ardens, id eſt nitrum, aquam vitæ, ſulphur, picem, thus, cum pauxillo lanæ, & camphoræ: ex quibus omnibus mixtis fiat compoſitio, quæ bulliat aliquantùm ad ignem

ignem ; ex quà formetur quoduis.

IGNIS VIOLENTISSIMVS. Si validiſſimū expetas, nempe ad uſum bellicū. Sume vernicem liquidam, oleū petrolii, therebentinam, & acetum forte; quæ præfatæ compoſitioni ad libitum addas, ſimulque compreſſa, ad Solem exſicces, & lanâ uel ſtupis, ut ita loquar, in formam conficias rotundam; in quam acutiſſimos clauos vndequaque figito, ſi violentiam ſummam inferri uelis, & foramen in maſſà conſtruito, quæ thure, & colophonio, in ſuperficie obducta ſit.

IGNIS PERPETVVS. Accipe olei oliuarū, ſalis communis præparati, calcis viuæ ana lib. i. Miſce hæc, & per alembicum ſuauiter diſtilla: feces in fundo vaſis reſidentes, extractumque oleū de nouo incorporando, ac diſtillando, hancque operationem ter quaterue repetendo: quā cùm non magno fundamento innixam videam, haud aliud de eâ tibi auſim polliceri, quàm, prout grato illam animo, ego ab aliis, ita & tu æquà mente à me ſuſcipias, & ſin vera, me mage redames.

Ignis ardens in lapide.

Sume calamitam, ſulphur, calcem viuam, picem albam, è ſingulis nempe ℥ iii, camph ℥ i, aſphal ℥ iii. Terantur, & imponatur puluis in vas clauſum; cui fiat ignis à principio lentus, dum ea compoſitio paulatim dureſcat, & tandem in lapidem redigatur. Hunc cùm accendere, aut ignitum reddere volueris; panno aliquo validè confrica, & illico ardebit: dumque ignem extingui expetes, ſputo, vel aquæ modico aſperge, & aſſerua in loco humido.

Candela

Candela quæ quatuor integris menſibus lumen præbere poteſt. Accipe ſalis nitri ℈ iiii, thuris ℈ vi, ſulph. ℈iiii. Tere, & his adde olei oliuarum ℈ vi, & ceræ ʒ iii: ex quibus fiat candela, quæ ponatur in uaſe vitreo, aquâ pleno.

Candela, quæ non poteſt extingui.

Accipe ſulph. viui, picis grçcæ, & olei oliuarum æquales partes; quæ bulliant ad ignem lentum, & ex eiuſmodi ebullitione elixiuium candelæ, ſeu alterius facis, è cerâ, vel ſebo tepidè confectæ, etiam tepidè vngatur.

IGNIS quantumuis magnus extinguitur; ſi ſumas alumen ſuccharinum ad libitum, & miſceas cum oleo vitelli ouorum, & in hoc mixto pannum è lino, vel lanâ madefacias, qui in ignem proiiciatur. Alias ſolet proiici copia ſalis communis, quo frequenter extingui, nos experientia docet.

Eadem & aliquando docuit, carbones ligni, uel radicum iuniperi, unà cum cineribus, qui illos ignitos coperiant, in furno duobus digitis craſſo, ac bene occluſo appoſitos, calorem per ſex menſes ibidem conſeruare.

Præparationes aliquę mechanicę de auro.

Aurum ut in campum ut(vocant) ponatur, ſume cretam ad libitum, eamque ſubtiliter tere, cum bolo armeno, ita ut rubra fiat. His adde albumen oui veteris, & putridi. Iſthinc, materiã hanc in uaſe terreo vitreato, per dies quindecim ad æſtum Solis expone; deinde aſſerua in loco humido, ad minimum per menſes duos, antequam operi adhibeas: cumque uti volueris, tere de nouo in lapide, cum albumine

albumine oui, prout dictum eſt, ac ubi ſcripſeris, vel efformaris cũ hac materiâ, quæ auro obducenda erunt, cartha prius panno aliquo bene confricetur, & maculæ omnes remoueantur. Quod ſi mixtura illa videatur acrior, adde aliquantum aquæ, & per particulam lintei diſtillari ſine: aduerteque, quò antiquiorem conſeruabis eo & meliorem fore, adeo ut vnica iſtius confectio in uità ſufficiat.

AVRVM IN VITRO. Sume fracturas vaſorum fictiliũ rubeorum, prout ſunt Damaſcena, & bolum armenum. Tere cum modico allii, & ad vitrum applicatis, aurum impone.

Vel ſume albumina ouorum, quæ validè percutantur, & cum lacte ficus miſceantur, apponeque aurum dum adhibita, & exſiccata illa fuerint. Nonnulli ſucco ſaltem allii vtuntur: aliqui verò gipſi puluerẽ miſcent, cum pauxillo cinaprii, & ſacchari candidi; adduntque tritis aliquid tenax, prout gluten: quod tandiu in aquà ſteterit, ut molle fiat: & cum ſuperioribus iterum terunt, penicillo apponentes, ac efformatis literis, auri folia ſuperinducentes.

AVREI COLORIS vt Metallum quoduis fiat. Sume vitrioli viridis, & ſalis gẽmæ partes æquales. Diſſoluantur in aquam, & in eam quoduis Metallum candens, & ignitum proiiciatur.

Aurum quo ſcribitur.

Accipe ſaccharum candidum, & in lapide marmoreo ſubtiliter tere cum aquà clarà, adhibitis auri foliis; atque in eâ contritione tandiu perge, donec aurum euaneſcat, ac de eo nihil amplius appareat. Adde puluerem de nouo, aquam, & auri folia, & prout ſuperius, ita & adhuc, ſed va-

lidè contere, cumque aliquot folia, ſic præpararis, in uas mundum appone, & laua cum aquà tepidà, quam auro ſupernatantem toties abiice, & aliam ſuperaffunde, donec clara inde abſcedat, & aurum ſummè repurgatum videas. Eo cum ſcribere voles, modicum alterius aquæ cum tantillo gummæ illi appone.

Si verò aurei coloris literas, aut aliud quicquam, abſque auro efformare velis, accipe gipſi, boli armeni, & aquæ pauxillum; idque cum modico croci, & oui albumine multùm percuſſo diſſolue, & ſcribe.

Aurum vetus renouatum.

Accipe capillos nigros hominis alicuius & combure ad carbones ignitos, ac fumus aurum vetus attingat.

De Argento.

Argentum imponitur in æs, hocque, ſummè albificatur hoc modo. Accipe Argentũ, quod per copellã repurgatum fuerit. In laminas tenuiſſimas adapta, & cum triplo aquæ fortis communis, in vaſe vitreo inferius rotundo, ad cineres tepidos diſſolue; atque diſſolutũ in aliud uas, ſciatum videlicet, cum aquá clará, & modico ſalis impone. Fiet ut præfatum argentum fundum petat. Huius ita præparati, & extracti ſecundum artem, prout præcipitatum Mercurij album, de quo ſupra, accipe ℥ vi, ſalis armoniaci, ſalis gemmæ, ſalis alkali, bene contritorum ana ℥ iiii. Omnibus ſimul mixtis, abluatur primo dealbandum æs, (quo melius auricalcum) cum aquà, quæ cum tartaro, & ſale communi aliquantùm bullierit: indeque, confectione ſuperiori prope ignem vndequaque liniatur, linitum confricetur,

fricetur, denuoque ſimiliter, ac toties obducatur, donec perfectè album videas. Laua & adhuc cum tartaro, & ſale; ac prout aurifabri argenteam ſupellectilem, ita & hoc eodem inſtrumento politum fac.

VT LITERIS ARGENTEIS, abſque argento ſcribas. Accipe ℥ ii, aluminis plumæ, & ℥ i, alum. ſuccar, ac diſtempera cum aceto albo.

De coloribus.

Regula generalis ad colores eſto. Color cęruleus, qui & azurinus, in campum apponendus, ſatis gummæ, (cum cautelá tamen) expetit. Viridis color, roſeta, minium, cinaprium mediocriter; ceruſa verô parum.

AZVRINVS COLOR ordinarius. Accipe laminas ſubtiliſſimas argenti, carthà ordinarià haud craſſiores: ac ſume item aceti fortis lib. i, & ℥ ii, ſalis armoniaci. Teratur ſal armoniacum cum aceto, & unà cum ſuperioribus laminis argenteis apponatur ad fimum equinum per dies quindecim, aut viginti. Quæſitum in eo vaſe reperies.

At longe pręſtantiora ſunt azuri conficiendi arcana duo, quæ mihi ab homine iſtius profeſſionis expertiſſimo tradita ſunt: quæ & libenti animo tibi trado.

AZVRVM HISPANICVM Sume lapidem lazuli, ac tere ſubtiliter in mortario æneo: trito, & cribrato adde aceti quantùm ſufficit, ac denuo in lapide porphido tere, donec fiat ſeu linimentum impalpabile. Sine tum exſiccari, & hoc tertio terendo, miſce cum forti lixiuio, & plurimùm de eo illi in uas ſuperaffunde. Fiet reſidētia, & lixiuiũ colorabitur: extrahatur hoc toties, alio ſuperaffuſo, donec inde clarum abſcedat.

Dicta vero lixiuia ſeorſim aſſeruentur, quia primi reſidentia, quæ uerum azurum Hiſpanicum eſt, cæteris (in quibus & pariter ea fiet) multò præſtantior eſt.

AZVRVM VERò Vltramarinum perfectum, & ſummè pretioſum ſic fit. Primò fiat paſtillum ut vocant, ſiue cõmixtio eiuſmodi. ℞ therebentinæ ℥ iiii, picis grecæ, & raſæ pini ana ℥ vi, ceræ nouæ ℥ i, maſticis alb. ℥ S, olei lini puri ℥ ii. Imponantur hæc in uas vitreatum, ſat amplum ad fuſionem lentam, ſed alternatim, necnon aſſiduè ligneo baculo moueantur, donec materia cocta ſit: quam dignoſcere ut poſſis, proiice guttã huius vnicam, in aquã claram frigidam: ſi congellabitur ea ad modum perlæ vnius, cocta erit, ſin minus, & dilatetur, perge vlterius in decoctione, donec ſuperius experimentum habeas. Coletur per linteum purum ea decoctio, & in uas mundum aſſeruetur.

Preparetur iſthinc lapis lazuli, ſummè ceruleus, in hunc modum. Accipe tigillum nouum, & in hoc, dictum lapidem, alto colore, & uenis aureis eminentem, in particulas ſaltem effractum, & non tritum imitte, & ad ignẽ appone, donec candeſcant. Ignitas mitte in acetum diſtillatũ fortiſſimum, indeque remoue, deſicca, & in mortario æneo tere, iſthincque in lapide. cum ſummà aſſiduitate, & ſequentis liquoris ſuperaffuſione.

Videlicet, cum aquæ vitæ, ter diſtillatæ, & aquæ communis partibus æqualibus; quibus aliquid mellis albi puriſſimi, inſtar fabæ ſcilicet addatur, ſed in ampullá vitreà, cum liquoribus præfatis, aſſiduá mixtione, & validà agitatione diſſoluti: cum quo liquore diſſoluatur & pariter azurum, dum conteretur, donec impalpabile fiat. Reducatur

catur inde hoc, in patinam vitream, ſeu uas terreum, fictile, plumbeatum albi coloris, ac in eo ſparſum, & exſiccatum de nouo teratur.

Huius triti, & in ſuperiorem modum præparati accipe ℥ ii, & ſuperioris paſtilli, quod antea confeciſti, & ad partem aſſeruaſti, ℥ iii. Liquefiat hoc primó ad lentum ignem, abſque ebullitione, ac præfato pulueri azurino multùm ſubtili, dum in lapide marmoreo adhuc reſidet, paulatim ſuperaffundatur, miſceatur, & incorporetur: ac fiant ex eà mixtiõe, particulæ ſeu globuli ad placitũ, manibus oleo lini prius vnctis, & compoſitum hoc aſſiduè pertractantibus; cuius vſus eſt, ut apponatur aquà clarà communis in patinam, ſeu uas terreum, vitreatum, & mundum, lati orificii, in quà præfatas particulas manibus ualidè pertractes, teras, & aſſidue moueas, donec multùm eam aquã coloris acquiſiiſſe videris. Hanc per pannum lineum cola, & colaturam ſeorſim in altero vaſe aſſerua, aliam de nouo præfatæ mixtioni ſuperaffundendo, & eum ordinem planè ſeruando, donec azurinus inde color omnis eliciatur; & aqua iſthinc non tincta abſcedat. Aduerte verò, prout ſuperiùs dictum eſt, ne extractas inde aquas ſimul comiſceas: etenim primæ, multò prætioſiores, poſtremę non item, nec adeo in colore eleuatæ, quæ peculiariter ideo, & ſeorſim aſſeruari debent.

Denique dum per aquam communem, haud ullam iſthinc tincturam elici poſſe videbis, in iſtius locum, lixiuium forte, ſuperiori reſidentiæ affunde: quod & colorem adhuc azurinum aliquem inde extrahet, quem cinerem Itali nominant.

Peractis hiſce, reſideant eiuſmodi aquæ per diem, &

noctem ad minimum: indeque à reſidentiâ, per lenem inclinationem dextrè ſeparentur. Illa verò ad calorem ignis lentum, non ad ignem proximè. exſiccetur; & ſeparatim in carthulas aſſeruetur: quæ cum oleo nucū in praxi commiſceri debet, mirum colorem exhibens. Hoc habe pro magno arcano.

COLOR VIRIDIS. Huius modos tres hic adſcribam. Primus eſt, ut ſumas viride æs, & cum aceto teras: cui adde poſtmodum aliquid croci, ac diſſolue cum vitello oui plurimùm decocti. Hic color depingendis libris aptè conueniet.

Secundus modus eſt, ut accipias ſuccum rutæ, cumque viridi ære, oui vitello, ac modico aceti, & croci teras.

Tertius, ut tartarum, & viride æs, cum aceto albo fortiſſimo in pari quantitate ſimul commiſceas, ac teras; & cum aquâ gummatâ temperes.

COLOR RVBEVS. Accipe cinaprium cum aquâ communi ſubtiliſſime tritum; & cum oui albumine multùm percuſſo, ac ferè in aquam redacto tere: cui adhibe poſtmodum aliquid è lacte ficus: ac ſi pauló ſpiſſiorem colorem, inſtar confectionis alicuius expetas: adde aliquid de oui vitello.

Oſſa diuerſorum colorum.

Accipe oſſa qualiacumque volueris, & colloca in vaſe æneo cum lacte caprino: & optimo ære viridi; ita ut lac dicto colore altè tinctum remaneat & ad digitos aliquot illis ſupraſtet. Prædictum verò uas occluſum, & ſigillatum, in fimum equinum calidiſſimū per ſex, aut amplius dies adhibeatur. Fiet in iis altus color viridis interius, & exterius.

exterius. Quod ſi alterius generis expetas, bulliant ſaltem cum oleo nucum, vel etiam ſeruato ſuperioris præparationis ordine, viridis æris loco, impone alios colores. Si rubea velis, accipe lignum Breſilianum, uel roſetam, quam vocant, ac vtrum illorum lubebit adhibe in uas forti lixiuio, & vrinà plenum: in quibus oſſa per aliquod tempus bulliant, & conſeruentur.

De Animalibus quibuſdam obſeruationes aliquæ notabiles.

Equum vulneratum ubi defuerit qui medere poſſit ita curabis. Accipe coriū calceorū ueterū, & illud combure; miſceque puluerē cū calce viuá, & impaſta cū melle, fiantque ex eâ compoſitiōe globuli, qui decoquātur ad furnum panis: ex quibus exſiccatis, fiat puluis, ſupra vulnus Equi apponēdus.

Vel ſume lardum, in patinà ferreà decoctum, idque cum aceto forti equorum vulneribus crebro admoue.

Equi in fronte, Stellæ forma naſci dicitur, ſi ex mixtione ſaponis, & cantaridis vnius, uel pluriū, Stellæ formam in equi fronte, uel alium quemuis locū depingas, ſeu obducas. Fiet, ut decidant pili eá parte omnes, ac ſi eam ſtercore hirundinis linias, albi naſcentur.

Mirabile experimentum de cornu vngulæ Aſini.

Aqua communis, in quam ſæpius immittatur puluis, ex cornu aduſto vngulæ aſini, eius virtutis eſſe prædicatur, ut ſi cultellum calidiſſimum, in eam ſæpius immergas, hic, ferrum aliud, inſtar calamitæ, ad ſe ſit attracturus.

AVRES

AVES omnis generis, ut albæ naſcantur. Accipe illarum oua: ſi habere poſſis, & impone aliquantiſper in ſuccum herbæ, quæ vocatur auricularis, impoſitaque denuo in nidum transfer.

AVES VT manibus capiantur. Triuiale hoc. Sumantur ſemina iuſquiami, & radix, fiatque cum ſemine cicutæ mixtio, quæ loco paſcui auibus apponatur. Decident tanquam mortuæ, & denuo expergentur, ſi nares aceto madefacias.

LVPI carnes, in ſtabulo ouium ſi apponantur, haud comedere eas poſſe, teſtatur author aliquis.

Item quod lupi ad paſſum, ſi pedem equus ponat, haud amplius incedere poſsit.

Item quod ſi dentes lupi prominentiores equus geſtet, nullo itinere defatigandus veniat.

CORVVS præ cæteris animalibus, ſi iuuenis enutriatur, exprimendis vocabulis humanis aptiſsimus eſt, familiaris, & domeſticus. Quin aliquis (haud ab hoc propoſito) mihi aliquando aſſeuerauit, à coruo ſe, quem à primá iuuentute aſſeruaſſet, in longâ peregrinatione nuſquam deſertum; ſed eiuſmodi animal, frequenti volatu perpetuò inſequutum fuiſſe.

AVIS LVCINIA vbiuis regionum optimè, & oportunè enutrietur, & conſeruabitur; etiamuerò tempore hyemali, ſi modò, in loco tẽperato, pro ordinario eſu, tinea illi una, ſiue grillus (animal eſt ad furnorum muros, & parietes, vbi ignis extruitur, reſidens, & noctu præſertim cantans) exibeatur; huicque carnes interdum bubulæ, ſed oſsibus, & pinguedine denudatæ, & caueæ alligatæ. Nota verò, ex iunioribus luciniis, ad Solis æſtum expoſitis, primam quæ

inter

inter alias cantabit, præſtantiſſimam fore. Illam itaque ſeu optimam ſeligere & aſſeruare debes. Supradictæ autem tineæ etiam mortuæ diù, & optimè ad huuc uſum aſſeruabuntur, ſi in farinam frumenti imponas, & illam quouis menſe mutes.

AVES CVIVSCVMQVE generis, ac præſertim luscinia, ſi æſtiuo tempore, in loco tenebroſo conſeruentur, & ad candelæ ſaltem lumen paſcantur, totâ hyeme haud dubiè canent.

COLVMBÆ à ſuis domiciliis haud unquam aberrant, & continuò è longinquo etiã loco reuertuntur, ſi frumentum in iis ſpargatur, quod per triduum impoſitum fuerit in aquam, in quà ſemina aniſis bullierint: illudque comedant ſæpius.

PISCES COPIOSE Expiſcantur, ſi ſumas herbam valerianam & apponas in fundo retis, vel iniicias titimalum tritum in aquam. Chelidonia eundem effectum habere dicitur.

LAPIS GALLI GALLINACEI eſt coloris criſtalini, aliquantùm obſcurus. Geſtantem inuincibilem reddere plerique ſcribunt authores, In ore poſitum ſitim tollere, mulierem gratam marito præſtare, malleficiatum denique qui nullis remediis curari potuit liberare. Dictus lapis eruitur è ventre dicti gallinacei, dum ſeptimum annum compleuerit; ante quàm videlicet horridum illud animal, quod venenato aſpectu ſuo intuentes enecare dicitur (Baſiliſcum nempè) generet. Vidi pleroſque non obſcuri nominis viros, hunc ad eiuſmodi vſum enutrire, & aſſeruare. Sic duo, diuerſis temporibus immediatè ſubſequentibus, ab eodẽ contraria generantur. Adeo natura ferax, & Deus

in operibus ſuis mirabilis.

De Vinis quibuſdam, & eorum præparatione.

Vina cuiuſcumque ſint generis, & ſoli in alia vaſa commutari debent, ſed dum mutatur ventus Boreas.

Vina in locis aridis, & ſiccis creſcentia hyemis ſaltem medio, mutari debent, alia vero circa principium, ac ſub nouæ Lunæ ortum.

Regula eſto, ut quo tempore roſæ, aut vinea florent, nulla vina commutes.

Ad acetoſitatem è vino tollendam. Sume lignum ſalicis adeo craſſum, ut per foramen ſuperius cum difficultate ingredi poſſit. Hoc verò multis locis ſit perforatum, foraminaque frequentia ſint, quæ ab uno ad aliud latus non tranſeant, melle, ſacchariquè puluere plena, ac paño lineo circum colligata. Appendatur illud in dicto uaſe ad medietatem uſque, & ultrà etiam; modo fundum non attingat, dumque per triduum integrum, ſic adaptatum ſteterit, remoueatur.

Alii veró, vinum prauæ aliquid, aut acetoſæ qualitatis contraxiſſe animaduertentes, foramen ſuperius illico aperiunt, deinde per partem inferiorem tantam uini quantitatem promunt, quæ in caldari magno calefacta, & in dolium per partem ſuperiorem immiſſa, ad totius vini calefactionem ſufficiat: illico poſtea occludentes.

VINVM VERò optimum, & purum in ſummá puritate diu conſeruabitur, ſi aliquid olei ſulphuris, quantùm videlicet nuce communi capiatur, in amplum uini

dolium

dolium imponas, aut ſi bina mirrhæ fruſtula in illud immittas.

VT AQVA extrahatur à vino. Accipe ſpongiam, & in oleum oliuarum impone: exprime illud, & ſpongiam in vinum pluries im̃itte; hoc itẽ exprime multoties: Fiet ut paulatim omnis à vino aqua eliciatur.

VINVM UT MOSCATELLINVM fiat. Accipe flores ſambuci, & exſicca, exſiccatos & in pannum, uel ſaccul ũ lineum appoſitos, per ſuperius vaſis orificium, tempore vindemiæ, in vinum immitte; ac tandiù ſtare permitte, dum vinum bullire deſinat.

DE FRVMENTO.

Ad multiplicationem frumenti & ſummam annonæ auctionem.

VICE frumenti ordinarii, quod ſeminari ſolet, ſumatur quod eſt ponderoſius, Maſcul ũ ſcilicet, quod ſolum in terram tanquam ſibi fæminam proiectum, & aſſociatum vim generationis habet.

Illud ſic eligitur. Proiiciatur ad aerem in loco ſpatioſo, & mundo, ab unà ad aliam extremitatem loci: ita fiet, ut quod ponderoſius eſt, longius abſcedat; quod colligi debet, & ad hunc uſum aſſeruari. Hoc verò ita collectum, & aſſeruatum, in aquam fimi equini pinguem & fœtidam (in quam tot libræ ſalis terræ, quot iugera ſeminanda erunt, impoſitæ, fuſæ, ac diſſolutæ ſint) per horas viginti quatuor imponi.

Extrahatur poſtmodum frumentum hoc, exſiccetur,

 ac tem-

ac tempore ſereno in terram mittatur.

Id ſi fiat, media frumenti ſeminandi pars ſufficiet, item aratri duntaxat vnius labor, nec ulla fimi aduectio neceſſaria erit, etiamſi in terrà ſterili, & macilentà id fiat; quæ mira abſque dubio (prout experientia docuit) menſe vno ante meſſis tempus producet: frumentumque, ob ſalis terræ commixtionem, decennio conſeruandum.

DE LITERIS, ET QVIBVS MODIS CLAM tranſmitti poſſint.

Literæ multis, ac variis modis clam tranſmitti poſſunt; quorum primus, qui hic proximè apponetur, antiquum Romanorum inuentum eſt; quo ſæpius ad Prouinciarum Præfectos, & alios peregrè commorantes vtebantur. Citallam vocitantes. Ea fit in hunc modum.

Sumatur lignum aliquod, ſeu baculus ad libitum longus, & craſſus, formæ rotundæ, multum politus, ac omni ſui parte æqualis, ac per medium abſcindatur, non in longitudinem, ſed in craſſitiem, cuius parte unà penes eū qui fabricari curauit, ſtante: ad amicū, uel notū altera tranſmittatur: cumque arcanum aliquod per literas inuicem communicari occaſio feret, ſcribantur eæ in chartâ pergamenâ, palmis aliquot longâ, ut, ſi neceſſe ſit, plures inuicem connectantur. Sed multùm ſtricta ea ſit; nec medio digito latior; quàquidem præfatam citallam extremitatibus alligatis iuſto ordine inuolue, ac in ea ſcribe quod lubet, extrahe, & ad amicum transferri iube, qui chartam eiuſmodi pergamenā (in quà ne integræ literæ formā videre fas erit ſed ſaltem quandam abſciſſorum caracterum confuſionem)

ſuſionem) ſuper alterà baculi penes ſe remantis parte, ut ſupra applicans, nullo negotio & perſpicuè leget.

LITERÆ quæ legi haud poſſunt, niſi ad ignem exponantur. Scribe cum aquà, in quam ſal armoniacum diſſolueris, uel ſcribe cum ſucco cæparum, uel pomorum granatorum, & ad ignem admoue.

LITERA ut deleatur, uel macula tollatur, ſuperpone ei paulum ceruſſæ, cum frictione.

LITERÆ quæ in gerētis corpore ſcriptæ non apparent. Accipe alumen commune repurgatum, & hoc cum vrinà hominis in ampullam vitream, inſtar oui fabricatam, ad Solem per biduum ſtare permitte: quo liquore ſcribe cum calamo nouo, in qualibet corporis parte. Vt appareat ſcriptum, confrica locum, cum chartâ aduſtâ.

LITERÆ VT PER aerem velociſſimo curſu tranſferantur, ac minimo tempore è longinquò veniant. Secretum fere incredibile.

Duo diuerſorum locorum, uel ciuitatum inter ſe noti, quilibet è columbario loci, quò commoratur aliquo, ad aliū viciſſim columbam, ſeu plures ad libitum, ſed aperto lumine, & patente cælo tranſmittat. Columbæ verò ſint fæminæ, pullos habentes, aut oua gerentes: ac ubi de tranſmittendarum & recipiendarum literarum tempore, antecedenter, prout neceſſe eſt conuentum fuerit, alligetur cū dexteritate, ad columbæ caudam, tenue epiſtolium; quæ poſtmodum abire permiſſa; dubio procul ad primum domicilium citiſſimo volatu reuertetur, eoque pacto alter per alteram huic reponſum dare poterit: non ſemel tantum, ſed & pluries in die; ſi modò cum cumino, vel frumento infuſo in aquam, in quam aniſis ſemina bullierint,

eiuſmodi columbæ paſcantur.

LAPIS ARTIFICIALIS ardens in aqua & maius lumen quauis face præbens. Accipe camphoræ ℥ 1, quã impone in aquam uitæ. Extractam miſce cum ceruſsà repurgatá, ac ſubtiliter tritâ, & ad Solem deſicca, cum frequenti dictæ ardentis aquæ imbibitione. Ardebit citiſſimè ad flãmæ contactum, & ſi in oleũ imponas, illico extinguetur.

SCLOPETVM cuius globulus exploſus, armaturã, ſiue loricam, quantumuis fortem, & munitam perforet, atque pertranſeat. Imponantur cum puluere grana tria florum Antimonij, & uice chartà quæ ſuperapponitur, adhibeatur globulus ceræ rubræ, poſteaque globus plumbeus, in particulam rotundam, coriaceam, pinguem; omniaque in ſclopeto validè premantur.

CORDÆ valde ſonoræ, alterius generis quàm ordinariæ ſint; quæ teſtudini, & cæteris muſicalibus inſtrumentis haud inconuenienter forte adaptari poſſunt.

Accipe neruos è ſpinà equi alicuius, qui in panno lineo multùm, ac validè terantur ſed cum ligneo malleo, donec molles fiant. Iſthinc, ad modum fili, uel lanæ pręparentur & glutine obducantur, ſeu liniantur.

TESTVDINIS SONVM vt ſurdus audiat. Binis modis id fiet uno, per ſuturam coronalem, ſi quis verbigratiâ, ſat clarè, & validè teſtudine ad ſummitatem capitis appoſitâ ludat: altero veró per oris meatũ; ſi videlicet ſurdus huius capulum dentibus arripiat, & alter interim teſtudinem clarè ſonet, nec id tantùm, ſed & ſi teſtudinis tabulam longiſſima pertica attingat; cuius extremitas altera dentibus apprehendatur.

TESTVDINEM vt quis alteri iam concordatæ, quam

nuſquam

nuſquam audierit in puncto, vniſonam accordare poſſit. Mirabilis hæc Naturæ ſimpathia, ex minimá re ſeſe prodens. Sumatur tenuiſſima particula, ſtraminis videlicet, aut carthæ, vel alterius viliſſimæ rei & appoſitâ ad oportunum locum teſtudine verbi gratia ad menſam, ut illius corpus hæc attingat, tabula verò teſtudinis ſuperior ſit, utri cordarum volueris, particulam illam appone. Si ſimilem in oblatâ tibi concordandâ teſtudine cordam percuſſeris, ac tandiu eleuaris uel demiſeris (dummodo proximè id fiat) ut ea feſtuca, quam ad aliam teſtudinem appoſuiſti decidat (quod abſque dubio fiet) tunc vniſonum cordæ illius cum alterá habes. Retine hoc, & ad illud cæteras concorda: inuenienturque in accordatione pares.

DE AMORE hominum conciliando multa narrat Albertus; aitque, ſi quis cor hyrundinis ſecum geſtet, ab omnibus amandum iri. Sique maritus cor columbæ exſiccatum, & in puluerem redactum, uxori comedendum præbeat, de ipſius amore ſecurum fore. Item cornu Cerui ab aliquo geſtatum, hominum amorem illi conciliare. Medullam verò pedis ſiniſtri lupi, á viro portatam, coniugis amorem erga illum excitare; aliaque ſimilia, quæ curioſos delectare magis, quàm veritatem in ſe aliquam continere crediderim. Cum filtra tamen ſeu pocula amatoria fieri, certiſſimum ſit, quæ humanos affectus mirum in modum & quaſi horrendè commouent, de quibus, etſi multa naturalia narrentur, abſit tamen hic aliquid pertractari cum ne uti quidem liceat, aut Chriſtianum ſit.

MOTVS PERPETVI MECHANICI abſque ullo aquæ, vel ponderis adminiculo conficiendi documentum.

Fiat rota, alata, quatuor vel plurium etiam laterum ad modum earum quæ ventorum vi voluuntur, cui ab appoſito folles validi, duo, pluresue, tali artificio ſic adaptentur, ut præfata rota a biis ſpirantibus velociter moueri poſſit. In extremitate verò dictæ rotæ, aut in centro ipſius, prout artifex iudicabit, interſeratur tale inſtrumentum, quod præfatos folles è conuerſo, iſthac ſeſe voluente, eleuare poſſit: (id quod artificis induſtriæ reſidebit). Fiet, ut à vento, qui è follibus emanabit, ac in alas præfatæ rotæ ſpirabit, ea circumuoluatur: folles verò à dictâ rota eleuati perpetuò ſpirent. Haud ineptum forte, ſublime illud (motum perpetuum ſcilicet) inueſtigandi, ac reperiendi fundamentum: quod nec legi vnquam; nec ſcio prætereà qui confecerit.

FINIS.

AVGVSTÆ VINDELICORVM
imprimebat Dauid Franck
Impenſis Authoris.

MDCXVII.

BIBLIOTEKA
ARCHIWUM ? KORPUSU

11379